

Itinerarium Hierosol:

BARTHOLO
MAEI DE SALIGNIACO,
EQVITIS ET IVRECON-
SVLTI GALLI: PRÆMISSA

eiusdem Oratione de laudibus
Terræ sanctæ.



ANNO

M. D. LXXXVII.

ORATIO
D. BARTHOLOMÆI
DE SALIGNIACO, APO-
STOLICÆ SEDIS, PROTO-
NOTARII, ET EQVITIS AVRA-
ti, de laudibus inclytæ Terræ sanctæ, quæ pro-
cemij loco est in Itinerarium terræ pro-
missionis, rerumq; sacrarum in-
ibi descriptionem.

INTER RELIQVA, QVI-
bus oblectatur mens humana, velut
singulare est, conditi à Deo orbis
contemplatio, inibiq; contentarum
rerum cognitio. Vnde Salomon ille
sapientissimus veraciter dixit: Cum-
etæ res difficiles, & non potest eas homo explicare ser-
mone: non satiatur oculus visu, nec auris impletur audi-
tu. Et Philosophus ille insignis Stagirita affirmat,
quo loco summam Philosophiam miro ingenio aggredi-
tur, quod sensus visus atq; auditus magis diligimus, quia
multarum rerum nobis differentias ostendunt. Sed &
regius ille Propheta David, suetus in æthereos ire mea-
tus, super vniuersi mira contemplatione exclamat: Do-
mine, Dominus noster, quàm admirabile est nomen tu-
um in vniuersa terra? Verum enimvero id licet longè
lateq; pateat per orbem terrarum, nec sit omnino vspiciam
quid

Contem-
platio na-
turæ.

Terrae sanctae
et Ego

Auctoris
peregrina-
tio Hiero-
sol. et in-
stitutum.

quid loci aut rei, quod non Dei optimi maximi potens-
tiam, sapientiam, bonitatem, clarè ostendat, singularissimè
tamen in terra illa, quam sanctam merito vocamus,
terra, inquam, diuinæ promissionis, clarius visitur: quip-
pe in qua propter tot excellentia dona naturæ, infinita
propè humanæ saluationis mysteria commonstrantur, vt
indignum planè sit ea, mortalium latere memoriam, quin
potius pro naturæ oblectamento, & pro amoris in De-
um augmento, dignissimum est in multorum notitiam
propagare. Mihi ergò nuper in Anno Domini 1522. a
longissima & laboriosissima peregrinatione in Galliam
reuerso, visum est operæ precium fore, si regiones, ma-
ria, flumina, montes, vrbes insignes, & cetera omnia,
quæ vidi, in commentariolum redigerem, quo me oblecta-
rem, memoriaq. tenerem, ac amicis meis (ne sæpè idem
narrare cogerer) quanquam incultum, inornatumq. le-
gendum exhiberem. Nam à cunabulis mihi innatus con-
creuit affectus, vel proprii quippiam, vel alieni molimi-
nis in communem frugem referre. Proinde in præsen-
tia scriptis inuabor prædecessorum, quoad nostris, si quæ
forsan obtinget ratio, lucem accipere liceat. Inter hæc si
quid rari, si quid nostratium, si quid (vt aiunt) non tri-
uiale in manus incidat lectu dignum, pro mea virili
promere conabor, & in hoc commentariolum aceruare.
In quo quasi factò periculo, pleniter confido complexu-
rum me, quantum ad ritus ac mores fidei attinet, descri-
ptionem terræ sanctæ, Indiæ, Siritæ, Mauritianæ, Ara-
biæ, Armeniæ, Georgiæ, Turquiæ, Cretæ, Cypri, Albas-
niæ, Ce-

niæ, Cephallenæ, Sclauoniæ, * Friolæ & Istriæ, quæ * Forum
futura sit amcenissima audientibus, legentibus vtilissi-
ma. Porro ne qua hesitatione corripiaris, Lector can-
dide, testor Deum, humani generis Saluatorem (cuius est, nomi-
nico amore has regiones peragraui) nihil me inseruisse,
quod non oculis ipse viderim, aut diligentissima perue-
stigatione, narrationeq. fideli, fuerim sciscitatus. Ceterum,
quoniam omnis ordinata descriptio certum principi-
pium petit, quo rei summa facilius imaginatione conclu-
di possit, sit narrationis scopus iste: Itinerarij in Terram
sanctam brevis ac fidelis descriptio, in qua nec dubia, Operis ar-
gumentum
nec nœnias, aut sermones gerris (vt dicitur) Siculis va-
niores, sed vera, sancta, experta complectar, non pompo-
so verborum fastu, sed simplici & intelligibili stylo, qui-
bus fides indubia, citra periculum veritatis, possit & de-
beat adhiberi. Id vnum, benigne Lector, oratum te ve-
lim, si in hoc opusculo quid incultum comperias, boni
consule, errorem corrige. Si quid à sensu & experien-
tia tua alienum legeris, vt est de ouibus Cypri, de pomis
Palaestinae, de piscibus volantibus, & mille similia, non
mox nasum suspendas, non dentè acuas Theoninum, qui
nunquam fortè limite paterno pedem extuleris, credens
nussiam, nisi in horto materno, brassicam crescere. No-
ris autem vel vnam, si reliqua ignores omnia, Catale-
psin hanc Virgilianam:

non omnis fert omnia tellus
India mittit ebur, &c.

A a 3

Quo

De consuetu
religiosi
peregrina-
toris.

Terræ san-
ctæ hodie
ni incolæ.

Quo dicto, missis ambagibus, commentariolum hoc nostrum, nusquam antè impressum, vel scriptum aggregatior, omnia quæ peregrinantibus commoda fore iudicauero, ad amussim narraturus, ut legentes diuino pneumate duce Terram sanctam visitaturi, primum mente, deinde oculis sacrum iter contineant. Ne autem ignotas prædas sequi aut nodū in scirpo quærere videar, res minimas, & quadrantū scrupos longius ablegabo. Principiò ergò Hierosol: petiturus, Christiane frater, mysteriorum humanæ salutis purum amorem corde concipe, per quem dignus quoquo modo fias terram illius pedibus calcare, in qua tot sunt gestorum Dei & Christi loca insignia, ut his narrandis ne dicam perlustrandis, nec dies nec ætas sufficeret homini Christiano. Sunt præterea quàm plurima in regionibus illis, quæ pijs animis mirum generant deuotionis affectum. Quis enim etiam facundissimus valeat enarrare, quot Anachoretæ, quot Cœnobitæ, quot Monachi Solitarij, quot castissimæ virginæ de Armenia, Georgia, vtrâq; Chaldæa, Syria, Perside, India, Æthiopia, Media, Nubia, Nabenia, Græcia, alijsq; nationibus, centeni, ducenteni, plures paucioresue procedunt in spiritu vehementi, loca incolunt sancta, peregrinantur, flectunt genua, manus in sublime tendunt, oculos leuant ad sydera, terram sanctam prono osculantur, imò verius præ cordis dulcedine lambunt, adorant quemcunq; locum, quo clementissimum Iesum sedisse, stetisse vel quippiam operis egisse percipiunt. Nunc palmis pectora tundunt, nunc profundos gemitus emittunt,

tunt, nunc in profusos fletus se soluunt, adeò ut indicibilem amorem se corde concipere facile ostendant, & plerunq; in lachrymas Sarracenos & Turcas, durum hominum genus, commoueant. Quo loco quis hæc videns non præ mœstica cordis indoleat, terram illam infidelium tyrannide premi, quæ tam optimo iure Christi fidelibus debeatur? Heu fortissime Deus, intueor iuxta sacras historias patrem Abraham, relictis patre, patria, domo, Prisca digna cognatione, tuo mandato ad hanc terram properare, in Bethel & Hai tabernacula figere, in Geraris, Bersabee, & Hebron commorari. Lego Isaac, piam victimam & fasciculi mysticum portatorem, hic figurare crucis mysterium, hic meditari in agro. Iacob cœli contemplator, post longæuas gregum vigilias ditatus vxoribus & prole hanc repetit, scalam in cœlum leuatam suspicit, castra Dei dinumerat, luctatur cum Angelo. Moyses ille pijsimus magnæ felicitatis loco duxit, post vastæ solitudinis labores terram hanc sanctam, monstrante Deo, à longe speculari. Iosua ille victoriosus hanc ultra citraq; Iordanem mensus est victori populo duodecim tribuum in funiculo distributionis. Tam sanctissimæ terræ gloriam, florentibus regno & sacerdotio, lege & Prophetia quis queat enarrare? Nonne vnius regis contemplatio reginam illustrem, ut Hierosolymam iret, à suis sedibus euocauit? Nonne vnius templi tam incliti magnū per orbem præconium à varijs regnis reges incitauit? Quid mirū, si pro hac vindicanda terra prisca patres tot pia suspiria emisere? Ezechiel in Babylonæ captiuus super flumen ascendit, ut repetat dilectam Hierusa-

Hierusalem, lachrymabili voce perorans. Daniel post-
 habitis regie aulæ delicijs, solam terram sanctam me-
 ditatur. Jeremias sanctissimæ Solymæ excidium qua-
 druplici plangit Alphabeto. Iam præsentem in carne Dei
 filio, quod decus, quæ gloria terræ sanctæ accreuerit,
 quæ mens concipere, quis calamus scribere, quæ lingua
 posset earare? Quid mirum, si hic huc concurrant de-
 votæ Deo animæ, & veluti innocui greges in pascuis
 vberimis pio Christi amore lasciuiant? Sed & ipsa vir-
 go Deipara, desertis speciosis campis Galilææ, nunc sa-
 lutationis suæ domunculam leta reuifit, nunc suauissimi
 partus incunabula repetit, & Bethlehem angustam vir-
 ginea voce salutat. Inde montana Iudææ, præcursoris
 lætum ortum visura, festino gressu pertransit. Hic ergo
 vel viuere libeat, vel liceat mori, id quod sanctissimi Pa-
 tres, Patriarchæ, Reges, Principes, Prophetæ, Sacer-
 dotes, summi beneficij loco duxere, si post multas pere-
 grinationes, exanimia corpuscula terræ sanctæ gremio
 sepulturæ fuissent mandata, ideoq; id posteris suis, vt age-
 rent, iurejurando sanxere. Verum hac nostra tempesta-
 te quam larga & iusta doloris materia nobis affertur,
 videntibus Christianorum principum tarditatem, qui-
 bus libet inter se cruentis bellis dimicare, & terram il-
 lam sanctam Tyrannis permittere, quam Iesus, mundi
 Saluator, suis dedicauit mysterijs, suo sanguine consecra-
 uit, quam orthodoxa fides indefessè prædicat & extollit.
 Doleat vobis tandem, ô Reges & Principes, Christi
 causa efferte signa, conscribite militiam, nec quicquam
 diffidite

Votum.

4 Exhor-
 tatio ad
 Reges &
 Principes
 Christianos.

diffidite vos victoria potituros. Cui enim non libeat
 Christiano arcum tendere, ensẽ vibrare, excutere lan-
 ceam pro illa terra, in qua pius Iesus concipitur, nasci-
 tur, nutritur, ambulat, prædicat, Pascha celebrat, sa-
 cramenta instituit, patrem orat, Angelico ministerio
 animatur, patitur, moritur. Testor piam Christi crucem
 atq; adeo Euangelium ipsum, horum omnium tam recens-
 tem ac plenam in locis sacris extare memoriam, vt hos
 dierna luce omnia contigisse credas, candide Lector.
 Properas ad Caluariæ montem, quo Iesus gestata pjs
 humeris cruce, qua vtriusq; hemisphærij molem sacrauit,
 credas eo ipse die peragi passionis mysterium. Accedis
 ad sepulchrum, mirum dictu, quantus amor mentem ac-
 cendit, quam dulcissimus odor occupat nares. Quid er-
 go mirandum, si cultores verissimi nominis Christi ter-
 ram illam, nomine ac re sanctam, videre, ac lustrare to-
 tis animis affectant, quam Catholicæ Ecclesiæ diu no-
 tũq; psalmis & hymnis decantant? Plato Ægyptum,
 Pythagoras Memphiticis vates, Apollonius Persas
 adeant: pertranscat hic Caucasum, præterea Albanos,
 & Scythas & Massagetas, penetret Indiam, miretur
 Hiarcham, aureo throno residentem, repetat Ægy-
 ptum, contempletur mensam Solis in sabulo, Ceterum
 tu Christiane frater pete Venetias, transi mare tuto na-
 uigio, trayce in Asiam, in terram sanctam, ascende Iop-
 pen, Ramam, sacrosanctam Solymam ingredi, transi
 cum pastoribus in Bethlehem, Nazareth venerare, præ-
 sepium, sepulchrum exosculare, ubiq; mirare, arcanum
 Dei

ωρθο-
 ποισ.

Agit ex-
 emplis.

B b

Dei super omnium salute consilium, & ubiq; locorum di-
tissimarum veniarum marsupijs locuples repetes natale
solum. Illi meras nugas audire, & homines videre
mortales, quibus nil numinis inerat: tibi omnia DEO
plena occurrent, hic virgo brachijs gestans tenel-
lum infantem, & despicabili loco sub rupe ponentem. Si
Betlehem visitas (DEVM immortalem) quæ las-
chrymæ? quæ suspiria? dum audis Angelicos hymnos,
pastorum colloquia, & cœlestem lucem vides promicare.
Quid suavius? quid iucundius, quàm de his mysterijs
per clarissima signa doceri. Felix ille, cui datur non so-
lùm visere, sed & viuere & mori in his terris. Fateor
tibi, amice lector, hæc me impulerunt causæ, vt arduam
hanc peregrinationem adirem, & hanc piam memoriæ
sarcinam stylo qualiquali conscriberem in hoc commen-
tariolo, qui volentibus terram sanctam adire loco enchi-
ridij esset, quo viso de omnibus doceretur. Porro ne vr-
ceum pro amphora (quod dicitur) videar formare, libel-
lum hunc pro ameniori lectiōe habere primum quisquis
nouarum rerum noscendarum desiderio flagras; deinde
tu sacræ scripturæ lector hoc libello tuo labori consule,
& sacrorum locorum, (quibus sacra pagina abundat)
hic accipe notionem: postremo vos diuini verbi & sacri
Euangelij prædicatores hunc libellum manibus tenete,
& dum res postulat, Christi mysteria locorum graphica
descriptione populo declarate: ad hoc enim vnicè vobis
hic libellus conducet.

Fruſtus
huius com-
mentarij.

Diuisio

DIVISIO LIBRI.



AGGREGAT GEMVS VOBISCV, CHRISTIANI
lectores, quàm sincerissimè, & vt *Apposita*
huius libelli nostri res omnes quasi *similitudo.*
in numerato cognoscere possitis,
strictim singulis Tomis res contem-
platas complectemur, quomodo
nauarcha noster inter nauigandum
crebrò nobiscum egit, vt recordor, è prora iacentes in
continente regiones à longè demonstrans. Sic hic in
præsentia agimus, his Tomis velut per transennam
(quod dicitur) totius libri amplam regionem vobis
ostendimus. Profectò quia rem sacram agimus, &
regio Prophetæ intra sacrosancti templi parietes li-
buit psallere in Psalterio decem chordarum libeat, &
nobis totius libri materiam denis Tomis perecnfere,
quibus arte & ordine tactis plectro scriptoris dulcis so-
nus resonabit.

PRIMVS TOMVS Venetiarum urbem, Parentiæ
portum, Histriæ situm & mores, Aureum montem,
golpum Auelone, Garganum montem, Albanæ fi-
nes, Chimææ & Pantheræ descriptiones continet, &
habet capitula VII.

SECUNDVS TOMVS insulam Corfice, Corpho-
nem & Tarentum vrbes, Zacynthum, Cefaloniam insu-
lam, Cretam, Candiam vocatam, & Modonam in
Helleſponto pulchrè explicat, & habet capitula VI.

TERTIVS TOMVS illustrem Rhodum, Castrum
sancti Petri, insulas Coon, Lero, Tylos, Nisuros, Char-
quis,

quis, Syrnis, Lymonis & Golphi Sataliæ historiam continet, & habet capitula I X.

QUARTVS TOMVS regnum Cypri, portum Limeson, Salinas mirandas, Leucosiam & Famagustam vrbes, montem crucis, Paphon metropolin, miracula terræ, historiam regis Britannici ad amussim explicat, habetq; capitula VII.

QVINTVS TOMVS de dimensione Palestinæ, id est, Terræ sanctæ, de natura soli & prouentibus, de regno Iuda & Israel, de Syria, Arabia & Galilæa, de terminis terræ promissionis à fluuio Aegypti, & magno Euphrate, Dan & Bersabee, de fortibus tribuum ultra citraq; Iordanem graphicè disputat, continetq; capita VII.

SEXTVS TOMVS de ritu peregrinorum in portu Ioppe, de itinere in Solymam sanctam, de Rama veteri, de Emaus siue Nicopoli, de Lydda & Dorcade, de montibus Hierosolymitanis, de situ sanctæ vrbs & spatio, & nominibus, de distantia eius ab insignioribus locis pulchrè pertractat, & continet cap. VII.

SEPTIMVS TOMVS de locis sacris vrbs sanctissimæ, de Cœnobio montis Sion, & de eius sacellis, de Cænaculo magno cænæ sacrosanctæ, de monte Caluariæ longè sacerrimo, de templo gloriosissimi sepulchri, de sancti sepulchri fabrica, de ritu militum creandorum, ordine narrat, continetq; capitula VII.

OCTAVVS TOMVS de sacellis templi S. sepulchri, de varijs nationibus Christianorum in templo, & eorum

rum Sacris, de alijs nationibus Christianorum per terram sanctam, de comparatione Episcoporum orientalium & occidentalium, de spurcis moribus Agarenorum & Sarracenorum, de Sacellis in atrio templi, de portis vrbs Hierusalem, de prætorio Pilati & Litostroto, de gemina sententia prolata in Christum, de templo Salomonis seriatim perdocet, continetq; capitula VIII.

NONVS TOMVS de valle Iosaphat, de torrente Cedron, de sepulchro virginis gloriosæ, de Gethsemani & Bethphage pagis, de probatica piscina, de monte Oliueti, de Bethania illustri, de Hiericho & rosetis eius, & monte Quarantane, de Decapoli & Galilæa, de Iordane & mari mortuo, de Nazareth inclyta, & monte Thabor, de Pentapoli & statua salis, de Cana, Tiberiade, Chorozaïm, Bethsaida, Bethulia, Tyro & Sidone pulcherrimè docet, continetq; cap. X.

DECIMVS TOMVS de valle Siloë, de natatoria, de agro Akeldama, de domo Simeonis senis, de castromali consilij, de terebintho procera, de monticulo Abacuc, de illustrissima vrbe Bethlehem, & eius sacris locis, de templo magnificentissimo loci natalis Domini, de miraculo inibi factò, de cænobio Diui Hieronymi, de valle Raphaim, de monte Iudæ & domo Zachariæ, de sepulchro Abbatis Cariathot & fratrum eius, de regno Gazæ, de oppido Buticellæ, de antiqua & noua Hebron, de ilice Mambræ, de agro Damasceno & ortu Adam, de vineis Engaddi, & hortis Balsami, de cænobio Iohannis Baptistæ, & miraculo reliquiarum eius, de monte Carmelo & miraculo fontis per ordinem differit, continetq; cap. VI.

CONCLUSIO OPERIS.

E Pilogus cum historia regrefsionis, & peroratione auctoris ad principes Christianos pro recuperatione inclytæ Rhodi.



PRIMVS

PRIMVS TOMVS

VENETIARVM VR- BEM, PARENTIÆ POR- TVM, HISTRIÆ SITVM ET MORES, AVREVM MONTEM, GOL-

phum Auelone, Garganum montem, Albanix fines,
Chimæræ, & Pantheræ descriptiones con-
tinet, & habet septem
capitula.

CAPVT PRIMVM.

Incipit primus Tomus de vrbe Venetiarum.



VENETIÆ ITAQVE, VN-
de omnium prosperrima in Terram fan-
ctam est nauigatio, sitæ sunt in sinu maris
Adriatici, quarum proximus continens
est vrbs Paduana, quam versus traiectus ^{Pataniū.}
breuissimus est quinq; millium passuum,
longè maior distantia ad reliqua conti-
nentis loca. Situm ergo Venetiarum, le-
stor, nullo describente facile intelliges, habita insularum conside-
ratione. Porro vrbs ipsa omnium nostri orbis est longe præstan-
tissima templis, ædibus, ædificijs publicis & priuatis, & ornatu &
sumptu supra admirationem excellens. Literatorum virorum ^{Encomium}
ac bonarum literarum nuspia alibi tanta est æstimatio, senum <sup>Venetia-
rum.</sup>
grauium ac mercatorum ditissimorum tanta copia, quanta nuf-
quam mercimoniorum, quæ toto orbe aut gignuntur, aut pa-
rantur, tanta vis, vt orationis limites excedat. In hac vrbe omni-
bus ædificijs orbis Europæ præstans est templum Diui Marci
Euangelistæ, cuius corpusculum inter reliquias alias depositum,
mira deuotione asseruatur. Extant etiam ibidem Diuorum Ro-
chi, Barbaræ, Lucix, Helenæ, aliorumq; sanctorum pignora, recis,
aurcis,

aureis, argenteis atq; gemmatis condita. Templum verò opere mularico extructum ornatu miro, sed sumptu maiore erectum est. Testudines, columnę, atq; parietes vermiculari arte, aureo ornatu ac marmoreo lapide ita concinnata sunt, vt non solum mira varietate ac specie videntes rapiant in admirationem, sed etiam humani ingenij omnem ferè æstimationem excedant. Profectò thesauri huius templi in auro & argento ac gemmis preciosis ac omni panno, colore aut lana, aut artificio præstante tanti sunt, vt admiratione, citius quàm æstimatione, comprehendas. Templum hoc plumbeis laminis coopertum est, prominentibus in ambitu quinq; turriculis pro eius ornatu, quarum tintinnabula dulcibus sonis oblectant ciues. In templi porticu quatuor equi ære fusi visuntur, magnæ antiquitatis argumenta.

SECUNDVM CAPVT DE PALATIO Ducis Venetorum.

Palatium templo contiguum est, quo serenissimus Dux, Senatus ac Prætorius dicunt. Sumptu nedum ducali & senatorio, sed regio & imperiali resplendet, vt videri possit tanta ditione Venetorum terra, mariquæ haud indignum. E cuius regione altissima turris est, instar solis aurata summitate radijs comantibus coruscans, è qua veluti specula altissima naues vndeunde medio mari velificantes mira voluptate visuntur. Inter hæc platea latissima aquis lateribus structa interiaceret, qua Senatores, inuitores & optimates vrbs de negocijs & mercibus orbis mira comitate, nullo strepitu, miscent colloquia. Abituris autem præsto sunt, quaquaversum ire libeat, nauigia. Nulla enim totis Venetijs domus cymba caret, qua placide vesteris, si quo libeat ire. Venetiæ muris non cinguntur, patulo mari omnia ambiente, & per singulas stratas, tenuibus riuiis decurrente, ita tamen vt fontium & puteorum gratia Venetensibus minimè desit, ex quibus aquæ omnium limpidissima & dulcissima in vltum ubi hauriuntur. Admirationem ferè excedit, quod medio palatio fons pater septus in modum cisternæ, è quo, si haurire velis, gemina tibi situla opus est, altera solida, altera perforata, quarum hæc per tenue foramen guttatim

ratim fontalem aquam imbibit, illa haustam largiore riuulo in fontis orificium euehit.

CAPVT TERTIVM.

IN platea riuus altus nuncupata, qua mercatores frequentius coeunt, & mare reciprocis æstibus feruet, visitur pictura insignis ante annos plus minus ducentos facta, exprimens prælium Gallorum, quo captae fuere Venetiæ, cuius rei testis largus est, Blondus, quo libro de situ Venetiarum pertractat. Huic propè est fonticulus Germanorum mercatorum conuentu insignis, cuius ritus & mores politiamquæ si describere velis, iusti voluminis mensuram implebis. In altera vrbs regione locus est Arcenas nuncupatus, quo Galeæ triremes & omnia vasa bellica miris sumptibus parantur, ex quibus paruo negotio centum millia hominum armatorum feruntur prodire.

Riuus altus.

Arcenas.

QUARTVM CAPVT.

Porro de huius vrbs publicis ædificijs, & ædibus priuatis, mercimonijs, totius orbis mercatoribus omnium sub cœlo nationum, narrare super te deo, quando res hæc sit nostra superior narratione. Cæterum huius florentissimæ vrbs Reipub: quantum principe, magistratu, sapientissimis viris, mercatoribus grauissimis, populo modestissimo, Clero probatissimo & omnium artium disciplina præpolleat cæteris vrbsibus, difficile creditur. Dux ipse non sanguine, non auro, non fauore, non muneribus, sed diuina sorte eligitur, cui in decernendis Reipub: casibus ab omnibus modestè pareretur. Senectus Patriciorum Venetorum citra comparisonem spectabilis. Videas enim senes cano capite, erectissima statura, vita frugali, maturissimo consilio, quos præ elegantia formæ & morum modestia Principes credas aut Pontifices. Nullus in hac vrbe peccat impune, nemini licet grassari in alterum, sed secundum quantitatem delicti pena promulgatur, & sub vigore legum liberè viuunt, quæ omnia si perpendas, lector amice, defines admirari florentem tot annis,

Reipub.
Veneta.

Senes.

Animad-
uersio in
fontes.

C c

terra

Pharus.

NOTA.

Humanitas
in religio-
fos peregrini-
matores.

terra ac mari potentem, Venetorum Rempub: Babylon euerfa est, Alexandria ruinoſa, Solyma vaſtata, Roma inuafa. Solæ Venetiae per tot iam ſecula propagant imperium. Vnde hoc? niſi prudentia, ſapientia, iuſticia, quam tenaciſſimè obſeruant, habita- tamen perſonarum ac nationum pro meritis diſcretionem. Gallo enim licet per Venetiarum urbem armis ambulare accinctum, & qua velit domo citra ducis licentiam hoſpitari, quod nec Veneto, nec alteri cuiuſq; nationis homini licet. Certe omnino non prætermittendum hoc loco noſtri libelli, cum quanto honore & pio affectu ciues Venetorum peregrinos terræ ſanctæ recipiant, atq; procureat. Inſtante enim nauigatione, in die Aſcenſionis generalis proceſſio indicitur, & peregrini lineis veſtibus amicti, & rubris crucibus ſignati, ad templum, Diui Marci conueniunt, & in choro ſtantes alternatim cum optimatibus Veneto- rum expectant, orationi intendentes. Interea pueri nobiles curſi- rantes per chorum, varia munuſcula, vt aquam roſaceam, floſcu- los, frondes, nummulos auratos peregrinis diſtribuunt, vna cum his gratiam Dei & iter ſalutare innocentia puerili peregrinis comprecantes. His factis, proceſſionem ineunt ſociati ſinguli peregrini ſingulis optimatibus Venetorum, qui eos monent ad patientiam & deuotionem. Mirum dictu, vt populus Venetorum accurrit, quando à terra ſoluendum eſt: nam ciues & matronæ in laehrymas ferè ſoluti, peregrinos Deo & ſanctis commendant, viciliſim orantes, vt peregrini eos in locis terræ ſanctæ ſuis pre- culis habeant commendatos.

QVINTVM CAPVT.

Hiſtria
Veram
pominis hu

AB hac ergo inelyta vrbe, paſti cum patrono nauis, ituri in Terram ſanctam, Anno Domini milleſimo quingen- teſimo vigefimo ſecundo die Iouis menſis Iunij ſexta, conſenſa nauī ſoluimus, tenſiſq; velis, & cantato lætis vocibus hymno, Veni creator ſpiritus, &c. nauigantes, decima die eiuf- dem menſis in prouinciam appulimus, quæ Hiſtria dicitur, dia- tionis Venetorum, quæ abeſt ab ipſa Venetiarum vrbe viginti quinq; milliaribus. Sortita autem creditur hoc nomen ab Hi- ſte

ſter filio Noë, primo huius terræ habitatore, qui alio nomine ius noſſo- Hiſtam dicitur. Sunt qui volunt Hiſtriam ab Hiſtro, maximo to- nem tradi- tius Europæ fluuio, nuncupari, quod is fluuius prouinciam hanc dimus Syn- præterfluat. Alij credunt eſſe Hiſtrum minorem, à quo prouincia tagmata denominatur, & hunc eſſe quem aduerſis vndis nauigauerunt Ar- noſtro. gonautæ. Huius prouinciæ prima vrbs * Parentia eſt maritima * Ptolomæo & peninſula, quæ velut Venetiarum portus eſt. Nam quod Ro- Parentium manæ vrbi Oſtia fuit, hoc ferè Parentia Venetijs. Naues enim eſt. onerariæ vndeunde venientes, huc littus appellunt, & merces exponunt, quæ leuioribus nauigijs Venetias peruehuntur. Porro Parentiæ oppidum nulla alia re inſigne eſt, quàm quod Veneto- rum ſit quaſi pomerium & gazophylacium. Eſt etiam in hac prouincia Hiſtriæ vrbeſcula puſilla, munita tamen muris & mœ- nibus, quæ Ruuyria nuncupatur, ab ipſa Venetiarum vrbe cen- tum milliaribus diſtans, littori maris inhærens, in cuius catho- drali Eccleſia Diuæ Euphemiae virginis corpus digno ſepulchro conditum viſitauimus. Hoc loco notate boni lectores inſigne mi- raculum. Nam in hac ciuitate, & in tota ferè Hiſtriæ prouincia (vt ſideli narratione accepimus) maior pars mulierum inibi naſcen- Mulieres claudæ. tium claudicar. Et aſſerunt incolæ, hunc naturæ morbum ſtirpis eſſe, non perſonæ, ita quod vna generatio non claudicantiū haud acquieſcit matrimonia iungere cum claudicantibus, propter cer- tum (vt dicunt) huius deformitatis periculum. Eſt etiam in Ori- ente huius vrbeſculæ mons mari imminens, Aureus nuncupatus, ex quo (vt fama fert) lapides omnes vrbes Venetiarum ædificijs ſunt exciſi. In huius montis confinibus eſt alius mons medio mari habitaculo idoneo inſignis, in quo morantur homines per Venetos deputati, & eorum facientes ſtipendia, qui maris tran- ſitum probè calleant, doceantq; quo tutius Venetias peruehantur citra iacuram. Eſt etiam in fronte dicti montis, quæ orientem ſpectat cœnobium Diui Franciſci, titulo Diui Andreæ inſigne, mari ſeptum, quo non citra admirationem puteis effoſſis, aqua dulcis & lympida bibitur. Huius loci cœnobitæ, inuitante amœ- nitate herbarum atq; arborum, quæ ad iacum baliftæ in latum, ad duos in longum protenditur, adſeruiendum Deo deuotiſſimè inuitantur. Hic etiā miræ magnitudinis piſces, præ perſpicuitate aquæ

aquæ marinæ facillimè capiuntur. Ex quibus & nos, quantum
elui satis esset, prensauimus.

SEXTVM CAPVT.

Noueritis lectores catholici, quòd Histriæ prouinciæ pri-
mum est contigua Sclauonia, 2 Albania, 3. ad sinistram
Friola, 4. Græcia, deinde ciuitas Constantinopolitana,
ita quòd ab Histria potest quis meare Constantinopolin terrestri
itinere, & inde Hierusalem absq; maris vasto traiectu. Nauigan-
tes ergo die Martis vndecima eisdem mensis Iunij, relictisq; à ter-
go prouincijs Romianæ, Neapolis, Sicilia, & reliquis his adiacen-
tibus, ad dextram Sclauonia, ad sinistram ad calcem Golphi, vul-

* Alijs est gariter nuncupati * Auelone, inter montem quandam, qui Gar-
Apollonia, ganus dicitur in Apuliæ sinibus, quo loco sanctus Michael Arch-
alijs Aulon. angelus Gargano, iusto viro, apparuit, in prouinciam * Albanie
* Que mari transmissio peruenimus. Et cum in fine golphi staremus
ueteribus diem mensis decima septima Iunij, sumpta cæna, per duas horas
Epirus. ante Solis occasum ipsum mare turbinibus grauiter agitatur, &
tempestas ingens, occidentali vento immitius flante, illic subor-
ta est. Ab illa hora vlq; ad eandem horam diei Martis sequentis
cum maximo impetu, vt maris vndæ ad cacumen naui frequen-
ter ascenderent, scapha aquis adobruta, præscisso per nos fune,
ne in maius periculum laberemur, submersa est: cuius tamen
precium iustum nos Gallicæ nationis peregrini patrono pertola-
uimus. Hinc velis nostris demissis atq; contractis, naui omnis
ventorum impetui permissa fuit, qua durante tempestate, sini-
stram versus Albaniam prouinciam dereliquimus.

SEPTIMVM CAPVT.

Albania.

Rosetò Albanie prouincia præ magnitudine sui
tripartitur. Vnam partem sub dirione sua possi-
dent Veneti: Alteri Turca dominatur: reliquam
inexpugnabilem, ob loci naturam, ob montes a-
sperrimos, tenent Albani. Hic Panthera (quam vo-
cant) arduissimis rupibus eleuata, quam homines proscripti,
exules,

exules, & facinorosi variarum nationum (vt accepimus) inco-
lunt. Hi sub Albanie optimatibus pro tuenda patria, & armis
parandis, stipendia faciunt. Haud prætermittendum, quòd hu-
ius Turcæ pater in eam Albanie partem, quæ nunc Chimæra *Chimæra*
nuncupatur, viginti millia equitum hostiliter miserat, qui om-
nes ob angustia locorum, asperrimorumq; montium difficulta-
tem, re non solum infecta, verum etiam ad vnum periere, partim
cæsi à pueris & mulieribus. Eustathius in commentario super
Dionysio de situ orbis, refert, homines huius regionis Pantheræ
ad eò ad currendum veloces, vt equos celerrimos cursu excellant.
Et hæc de Albanie situ dixisse suffecerit.

SECUNDVS TOMVS

INSVLAM CORSICE,
CORPHONEM ET TA-
RENTVM VRBES: ZACYN-
THVM, CEPHALONIE INSVLAM,

Cretam, Candiam vocatam, & Modonam in Hel-
lesponto pulchre explicat, & habet
capitula VI.

SECUNDI TOMI PRIMVM CAPVT.



Die Mercurij decima nona mensis prædicti ma-
ri quasi tranquillato, eodem tamen vento, li-
cet longè mitius flante, fulgente aurora, in-
sula * Corsice cum montibus, & vrbe, Cor-
phon dicta, oculis nostris fuere subiecta, &
per peritos maris & terræ monstrata. Insula
hæc Venetæ ditionis est, tenens in longitudi-
ne viginti ferè milliaria, in latitudine duode-
cim, duobus milliariis leuca constante. Hæc abest à Tarento
Apuliæ sexaginta millibus, ita quòd de vna ad aliam ire volens,

* Coreyra.

transeat per magnum mare prædictæ latitudinis necesse est. Die
vigesima mensis prædicti ob raritatem venti, qui apud nautas
Zacynthi⁹. Bonassa * dicitur, mari tranquillo Zacynthum insulam prospexi-
* Vocis ni- mus quinque millibus à nobis distantem. Hæc insula, sicut dili-
mirum u- genti inuestigatione cognoui, est latitudinis triginta millium,
surpatione longitudinis quinquaginta, vnica vrbe insignis, quæ Ianta dici-
noua et de- tur, à qua & tota insula nunc denominatur. Vrbs muris caret &
prauata. portis, sed pro sui tutione castro munitur adiacenti. Sunt tamen
Notum au- in hac insula plurimæ domus rustestres, & habitacula villatica. Est
tē animal, & monticulus parum excelsus & infertilibus plena, raris vineis
Bonasus, à mediocribus culta. Distat à Venetijs hæc insula nongentis milli-
bonis au- bus, & ab Rhodo septingentis. Hinc ad manum sinistram nauis
storib⁹ So- gantes, reliquimus (Cephalen) Cefaloniam, insulam famosam,
phistarum, Turquæ contiguam, inter quas ad dextram visitur Creta, illa
coniucijs, famigerata, cum inclita vrbe nostra ætate, Candia dicta, in qua
mendacijs, totius Græciæ crescunt vinæ præstantiora, & præcipue illud al-
e denta- bicans, apud nos Maluasaticum dictum est. Vnde autem Creta
tis chartis hoc nomen sortita sit, quod nec Syrum est, nec Hebræum, sed
pugnanti- mixtum, incertum est, maximè cum Creta interpretetur vocatio-
um, inge- consummata, & Cretes vel Cretenses dicantur vocatione con-
nia repre- summati. Nos autem Cretam terram albam vocamus. Et hæc
sentans. ipsa terra Candia vocatur, fortè à candore, ex Solis calore effecto,
Quia enim vt verisimile videatur ab albore Cretam dici, vel Candiam, cum
cornib⁹ in- non legamus in sacris literis singularem huius insulæ ad fidē vo-
utiliter im- cationem, nec præcipua in ea facta miracula, nisi quod Apostolus
plexis Le- Paulus legitur in actibus Apostol: cap. 27. hic tempestate iactatus
dere non potest, fugiens sparsa sunt uena- Sed hoc ad Hebraicam huius nomi-
tores, ita ut aliquis ignis, adurit.

nis interpretationem nihil alludit,
maximè cum idem Paulus eosdem Cretenses infami prouer-
bio veteris Poætæ suggillet, dicens in epistola: Cretenses semper
Tit. 1. mendaces, malæ bestię, ventres pigri. Est enim in hac insula
¶ Reges ei⁹ esculentorum magna copia, sicut & in adiacentibus Græciæ pro-
sot, noua uincijs. Cuius rei vnum exemplum fidem faciat. Nam perdices,
Diplo, yac quæ apud nos & raræ sunt, & preciosæ, & Veneris (vt fertur) alu-
Sæges æg- mæ, ibi & in cæteris vsq; ad terrâ sanctam prouincijs numero-
yai. sæ sunt, & exilis precij. Mirandum planè apud nos, quod ibi est
frequentissimum, scilicet de perdicibus, quæ apud nos syluestres
sunt

sunt, & communi opinione vulgi indomabiles, aded vt in Pro-
uerbij locum sermo abierit, quatuor hæc esse indomabilia, Mu-
res, Hirundines, Anates, Perdices. Nam res longè aliter visitur
in his regionibus maximè de perdicibus. Hæ in domibus nutritur
magno numero, & per familiam perq; officinas currunt,
per omnia vt apud nos gallinæ, & certis horis tñmatim euo-
lant ad pastum instar columbarum, ac redeunt. Quod quidem
fieri creditur ex nimio calore regionis, quo urgente, nonnunquā
ad antra rupium conuolant maximo numero, & ab aucupibus in-
sidias tendentibus capiuntur. Est & aliud auium syluestrium ge-
nus delicatum, ex quibus credere licet hanc insulam tale prouer-
bium sortitam testimonio Pauli Apostoli, ex affluentia vini
præstantissimi, & carniū delicatissimarum, quibus immodicè
sumptis inualefcit Venus, quibus absentibus pereunt arcus Cu-
pidinis, iuxta illud Comici: Sine Cerere & Baccho friget Venus.
Porro cum Rhodus distet à portu Ioppe septingentis millibus,
colligitur ritè supputando, quod Venetiæ vrbs distat à portu
Ioppe bis mille & ducentis millibus, quæ æquipollent leucis mille
& centum regni Galliæ.

SECUNDVM CAPVT.

INsuper mente tene lector, quod in hac Candia insula
quidam sunt agri, ex quibus eodem anno bis triticum
colligitur: quod ego quidem semel vidisse memini, sed *Soli uber-*
incolis res frequens & citra admirationem, qui & bona id fide af- *ta.*
firmarunt, inter Candiam & Cefaloniam oues bis parere singulis
annis propter excellentem Solis feruorem.

TERTIVM CAPVT.

Ite verò Veneris proxima, quæ erat vigesimus primus, * Veteri-
mensis prædicti, applicuimus * Modonam, ciuitatem *bus est Me-*
fortem atque metropolim in prouincia Hellesponti, *thone, nena-*
quæ nunc Morea nuncupatur. Hæc est Græcia ditio- *pe Messe-*
nis adiacens mari, distatq; à Ianta centum millibus, montuosa, *nie ciuitas*
quam Veneti longis temporibus tenuere, sed à 44. annis sub *in Pelopon-*
acta neso.

Leonis le-
genda.

acta est tyrannide Turcarum, & facta tributaria, taliterque munita, ut inexpugnabilis reputetur. His locis audiui non sine admiratione agitari quaestionem de corpore sancti Leonis, aliquibus asserentibus, corpus dicti sancti in illa ciuitate requiescere, alijs vero contradicentibus, ipsum sanctum adhuc viuere, & in vicinis monticulis latitare.

QVARTVM CAPVT.

Turres
Marty-
rum,

Hæc vrbs proditoriè capta fuit à Turcis: dumq; incolæ obsidionem percepere, misso igne in omnia ædificia publica & priuata, maiorem partem vrbs incendio consumplere, volentes potius vxores ac proles flammis consumi, quam in turpissimorum Turcarum manus incidere. Quamobrem Turcæ vrbe potiti, ex captiuorum & interfecto- rum capitibus obruncatis, in memoriam tam crudelis victoriæ duas altissimas turres construxere, quæ à Christicolis turres Martyrum hodie nuncupantur, eò quod singulis noctibus piæ reliquæ celesti lumine decorantur: Turcæ verò affirmant, eos inferis destinatos.

QVINTVM CAPVT.

* Coron,
Ptolomæo
Coronc.

Prope dictam ciuitatem alia est vrbs fortior & opu- lentior, * Corphon vocata, distans à prædicta duode- cim millibus, quam cum terris adiacentibus, Græ- cia, Morea, Cyprio, perfidus Turca permittit Chri- stianis, ut in eis sua fide, legē & moribus viuant, solu- to tamen sibi graui tributo. Hic prælides & magistratus liberè creantur, & principum præcepto paretur. In his locis multos vidi Græcos presbyteros, & eorum sacris sæpè interfui. Hi mer- cimoniam habent cum Turcis, & omnia humano vsui commoda leui precio comparantur. Est autem vrbs sita ad mare Adriati- cum, mœnibus ac turribus fortis, imò fortissima.

S E X.

SEXTVM CAPVT.

HINC ergò nostro itinere progressi, die Dominico mensis prædicti ante auroram tempestas alia, grauior præcedenti, nos inuasit, quæ flante contrario vento usq; ad Solis occasum diei Martis sequentis durauit, ita ut nautæ & maris periti mirantes dicerent, se nunquam illo anni tempore his locis tempestatem tam longam vidisse. Porro die Martis præ- tacta prædicti mensis 25. quæ tunc accidit in crastinum natalis Diui Iohannis Baptistæ, circa Solis occasum tranquillo mari, re- licta Candia, ad nauigamus Rhodum.

TERTIVS TOMVS

ILLVSTREM RHO-
DVM, CASTRVM SAN-
CTI PETRI, IN SVLAS COON,
LERO, TILOS, NISVROS, CHARQV IS,
Sermis, Lymonis & golphi Sataliæ historiam
continet, & habet capitula
octo.

CAPVT PRIMVM.



Hoc Tomo alta Rhodus insigni iubare promicat, quæ ob binas Diui Pauli epistolas ad se scriptas usq; in nostram ætatem metropolitanam dignita- tem obtinuit. Hæc enim alio nomine Colossus & Rhodiani Colossenses nominantur. Rhodum ergò diu optatam ægri marinis incommodis peruenimus, cuius laus iustum volumen exoptulat. Nos ad alia properantes, ipsam Rhodum facili pede, haud tamen contemptim, percurremus. Ergò portum Rhodium ingressi, speciosum Dæ virginis sacel- lum, dictum beatæ Mariæ de Philermo, salutauimus. Hic olim Rhodus

Iohannita Rhodus sita fuit loco satis excelso. In urbem ingressi quam humanissimè à Dominis ac militibus Diui Iohannis Baptistæ habitati fuimus, qui, ut & omnes urbis habitatores, candidis vultibus nos accepere. Iade petita & obtenta licentia à magno Magistro huiusce religionis, datoq; iuramento ritu solenni à nostris languoribus curati fuimus, adhibitis eduljijs delicatis, & remedijs opportunis. Hic vsq; ad diem Dominicam, instantem, quæ fuit vltima mensis prædicti, moram traximus, partim infirmitate cogente, partim ut gloriosæ urbis insignia loca videremus.

CAPVT SECVNDVM.

Rhodi munitiones. **H**oc temporis interuallo, data licentia, Rhodum perquam diligenter lustrauimus, quæ geminis fossis ac muris miræ fortitudinis cingitur, quoniam altitudo & latitudo eorum mirè excreuit. Tormentorum, quas bombardas vocant, & varij generis arma mirantes dinumerauimus, quæ ne hic describam, in causa est, ne sim lectori fastidio tanta multitudo rerum. Attamen ut exemplo atq; indicio Rhodi fortitudinem concipias, lector, scito quòd anno Domini incarnationis 1480. ut plenius leges in scriptoribus annalium, Rhodus ipsa per Turcam Mahometem oppugnata, & trecentis hominum armatorum millibus obsessa vano molimine fuit, omnibus Turcis summo dedecore re infecta regressis. Ego id existimo, Turrim sancti Nicolai, in calce portus sitam, inuincibilem esse, quippe quæ machinis bellicis ita munita est, ut omnes aduersos irridere possit insultus, nec nauis vlla illic tuto possit transire, nisi commeatu huius præsidij.

TERTIVM CAPVT.

Mahometes 2. Imp. Turcicus. q. Belli huius hystoriam habet commentarius Bernhardi à Breitenbach, cum alijs rerum Turcarum auct. oribus expressis ab Opori. **I**n loco, qui vulgari lingua Rhodiorum Mandrachi appellatur, qui quidem locus dicitur olim fuisse portus antiquus ciuitatis, statua solis, siue Apollinis, collocata fuit, quæ vastitate sua & altitudine mirabili sexaginta cubitis eleuata, tantum arte ac mole reliquas fabricas excelluit, ut inter septem orbis miracula dignè numeraretur. Colossus enim

enim nuncupatur, ut aliqui volunt, à Græco verbo Κολοσσός, Nugatur quod significat cruciatum, vnde Rhodij Colossenses meruere vocari, quòd Colossus geminis turribus innixus terræ motu tandem ceciderit. Portus Rhodi fortissima catena clauditur, utrinq; communissimus arcibus collocatis, iuxta quas molendinæ tredecim ordine disponuntur, quæ non solum fruges terant, sed & urbis sint propugnacula bellica, qui locus ab incolis vocabatur Trulia.

QVARTVM. CAPVT

In hac vrbe duo sunt Latina cœnobîa, alterum Diui Augustini, quod Gallorum arte & sumptibus fabricatum est, alterum Diui Francisci, in honorem virginis gloriolæ fundatum, ob victoriam, quam Domini Rhodenses contra Turcas habuere, cum illic clam ingressi turpissima fuga & cæde inde fuere expulsi. Locus hic vocatur sanctæ Mariæ de victoria, prope quæm Diui Pantaleonis templum est, cuius martyris die, aliam de perfidis Turcis Rhodenses sustulere victoriam, cuius memoria annuatim solenni processione ordinis agitur. Est & principale templum Diui Iohannis, palatio magni magistri contiguum miro sumptu exstructum, in quo Baptistæ manus seruator, qua Iesum turbis ostendit, dicens ad fluentia Iordanis, Ecce agnus Dei, &c.

Rhodie militiæ magister.

QVINTVM CAPVT.

In hoc templo visitur crux ænea, quam conflata ferunt ex materia peluis, qua Christus in nocte cænæ lauit pedes discipulorum suorum. Ostenditur etiam triginta argenteorum nummis vnus, quibus Christus est venditus cum alijs piæ memoriæ reliquijs venerandis. Et & alia Latina Ecclesia in honorem Diuæ virginis & martyris Catharinæ erecta, in cuius cœmeterio sepulchrum extat instar sepulchri Dominici. Quinetiam & alia in hac vrbe Græcorum & Latinorum templa visuntur.

SEXTVM CAPVT.



Hodus insula est latitudinis viginti millium, longitudinis autem quadraginta, & habet sub se plures insulas, Coon, quæ vulgariter Lango dicitur, * Castrum sancti Petri in continente, quo Halicarnassus ciuitas suo Dionysio olim famata erat, Leria, Tylos, Nisuros, Charquis, Syrnis, Lymonis & plures alias in Cypro, Morea, Constantinopoli & Hierusalem, sed inani de his titulo gaudens; quia à Turca, fidei Orthodoxæ inimico, vi tenentur, vt mirari liceat, quomodo panis filiorum Israël canibus traditus sit ad deuorandum.

* Arx Petrea, q̄ ex ruinis Halicarnassi pyramidibus quæ Mausoli sepulchri, inter septem orbis miracula nominatissimi, struere cepit Heinricus Schlegelholz, eques Germanus, dum Tamberlanes inuaderet Asiam, ut Iacobus Fontanus de bello Rhodio lib. 2.

SEPTIMVM CAPVT.



Duerter lector, quod in prædicto sancti Petri castror canes mirandæ conditionis pro castris custodia habentur hoc ordine, vt qualibet nocte viginti quatuor ex eisdem canibus se diuidant, per diuersas partes castris circumeuntes: qui si quem infidelem obuium habeant, miro cognoscunt ingenio, moxq; dilacerant: Christianos verò multis blanditijs exceptos ad castrum deducunt sine omni molestia. Quod quidem fidei Christianæ pulchrum & indubium est argumentum.

Canum miraculosa sagacitas. ¶ Vide Itinerarium Hierosoly: Bernhardi Breitenbach, qui stato tempore tintinabulo reuocari solitos tradit. ¶ Reditus Archiepif. Rhod.

OCTAVVM CAPVT.



Archiepiscopatus Rhodi (vt bona fide accepi) in annum præstat sexcentos ducatus: at magnus Prior sancti Ioannis est Archiepiscopo ditior. Hunc vidi offerre sacrum in die festo S. Apostolorum, Petri & Pauli, cum baculo mitris & anulis instar Episcoporum, cuius rei causam me mirante, intellexi eum solum Romanum Pontificem, vt superiorem, venerari. Hic etiam magnus Magister olim potiebatur præfectura prouinciæ Eubœæ, ab Euboico mari nominatæ, quod nunc

Eubœa.

nunc dicitur Baliuum nigri Ponti, & etiam possidebat urbem sanctæ Mariæ in Antiochia. At nunc pro dolor res Rhodiorum longè aliter habent.

NONVM CAPVT.



Oterant hæc de Rhodo dicta in præsentia tibi, lector, sufficere, nisi miseranda Christiani nominis calamitas, & nobilissimæ insulæ Rhodianæ exitium, præ turpi Christianorum principum ignauia, funebri concione mihi deplorandum videretur. Sed quia res nostro est maior ingenio atq; sermone, hæc prouincia alijs cedat, maximè quod alium locum & ingenium liberum tanta res postulat. Nos autem supradicto die Dominico vltima mensis supradicti circa noctis crepusculum (vt mos est) cepimus nauigare, & * Sataliæ golphum attingentes, ingens periculum metuebamus. Est enim mare hoc loco tam formidolosum, vt Helena, Constantini Imperatoris mater, Solyma rediens, vnum ex clauis Dominicis in mare hoc loco, vt mitesceret, demerserit. Tanta est etiam huius maris malignitas, vt prouerbij loco dicatur: Nullus Sataliæ golphum transnauigat, quin beneplacitorum suorum bona parte obliuiscatur. Hic tamen tranquillitas, vulgò Bonassa dicta, nos tenuit, ita vt per duos dies parū profecerimus nauigando, donec tertio die ventus ab occidente flans nos arriperet, vt relictis prouincijs castris rubei, Calcedoniæ & alijs, in Turquiæ continente sitis, Cypro appropinquaremus. Calcedonia hæc alio nomine Caria, & minor Asia vocatur, quàm à sinistra reliquimus.

* Attaliæ, quæ Ptolemæo Panphiliæ urbs est. Helena Aug. ¶ Simile huic, uetus adagium: Maleam legens, quæ domi sunt, obliuiscere.



Dd 3

QVIN-

QVARTVS TOMVS
REGNV M CYPRI,
PORTVM LIMESSON,
SALINAS MIRANDAS, LEVCO-
SIAM, FAMAGVSTAM VRBES, MONTEM
 Crucis, Paphon Metropolin, miracula terræ, histo-
 riam regis Britannici ad amussim ex-
 plicat, habetq; capitula
 septem.

PRIMVM CAPVT.

S Abbartho autem, die scilicet sexta mensis Iulij, Ori-
 ente iam Sole, regnum Cypri attigimus, & in por-
 tum ruinosum, quem * Limeßon vocant, prouecti,
 inter nauigandum (mirum dictu) pisces plurimos
 ad iactum vnius arcus se in aërem levare atq; volare
 prospeximus. In hoc portu mansimus vltq; ad diem Martis,
 rerum nouarum huius patriæ curiosi. Accepi autem re-
 latione fide digna, nutriri in Cypro murilegos, quos catos dici-
 mus, qui continuo venationi viperarum, Camelionum, & alio-
 rum reptilium (quibus terra abundat) insistentes, leuant patriam
 magnis periculis. Est autem Cyprus montuosa, petrosa, calida,
 sed saccharo, bombace, sale, serico ac bysso alijsq; varijs opibus ac
 mercibus abundans, quæ vili precio comparantur.

SECUNDVM CAPVT.

In regno Cypri duæ sunt vrbes cæteris præstantio-
 res, * Leucosia & Famagusta. Reliqua pars plena rui-
 nis. Nam regis Angliæ quondam filia sanctorum
 locorum fruens amore, Hierosolymam profecta est
 honesto sodalicio. Quæ cum Cyprum ingressa es-
 set, & Cypri * regem salui conductus gratia salutarer, voti
 quidem

quidem compos euasit, & à rege humaniter fuit recepta. Cæte-
 rum inter comedendum & colloquendum (vt fieri solet) impu-
 dicus rex speciosissimæ reginæ flagrans concupiscentia, & hospi-
 talis iuris oblitus, vi eam oppressit. Quæ probè dissimulata intè-
 rim iniuria, & peracta peregrinatione in regnum suum rediens,
 defuncto iam patre, fratri regnanti turpe ludibrium exposuit, &
 de tanto scelore vindictam postulauit. Rex nil moratus, instru-
 cta classe, nauigat Cyprum, & fugato rege Cypri, regnum demo-
 litus est.

TERTIVM CAPVT.



Hoc tempore regnum Cypri potestati Venetorum
 subiectum est, de quo tamen Veneti soluunt Turcæ
 annum tributum quatuor millium ducatorum.
 Incolunt autem Cyprum maxima parte Græci
 Christiani, tamen in multis ceremonijs differant à
 ritu Romanæ Ecclesiæ. Nec ideo tamen damnandi sunt, nisi
 credamus fatuè, hominum salutem consistere in cæremonijs,
 aut magis fatuè, extra Romam neminem posse saluari. Hoc loco
 scire vos iubeo, boni lectores, longè aliter rem se habere, quàm
 plariq; per occidentem ignoti homines credunt. Credunt enim,
 nusquam esse Christianos, quàm in Europa, & per occidentem,
 cum reuera per totum Orientem innumeri maneant Christiani,
 adeò vt ausim dicere, in Armenia, Æthiopia, Perside, Chaldæa,
 Egypto, India & alijs regionibus reperiri triginta Christianos
 contra vnum Sarracenum. Sed hi quoniam imbelles sunt, fortè
 secundum Euangelij CHRISTI modestiam, ideo Turcæ do-
 minantur eorum, quibus soluentes tributa, quiete viuunt
 in sua fide & religione. Soli enim præsides, iudices & ma-
 gistratus sunt Turcæ & Sarraceni, reliqui ferè omnes Christia-
 ni, qui absque dubio maxima auxilia afferrent principibus Chri-
 stianis, si in terram sanctam sub vexillo crucis expeditionem pa-
 rarent. Et nos ipsi peregrini Græciæ vrbes peragantes,
 audiuius optimates & plebem nil magis velle ac optare,
 quàm vt principes Occidentis conflato exercitu pro recupera-
 tione terræ sanctæ & Orientalis Ecclesiæ mare transirent
 dicente,

Cyprus
 Turcis ue-
 stigalis.

NOTA.

Stat^o Chri-
 stianis in
 per Orien-
 tem.

Sal marin⁹

dicentes se maxima subsidia & com meatuum & militum præstituros. Nunc ad Cypri descriptionem. Hic prope portum ruinosum, salinarium nuncupatum, per duo ferè milliaria in valle diffusa, ac littori maris propinqua, singulis annis mira gignitur salis abundantia ex aqua dulci congelata, & virtute Solis decocta, quæ iudicio meo vsui totius orbis sufficeret. Porro de huius salis generatione & prouentu varia est prudentum virorum opinio. Nam alij id attribuunt virtuti Solis & aquæ, alij credunt terræ vim quandam inesse mirabilem, reliqui in miraculum rem referunt, quòd scilicet Diuus Lazarus olim hac iter faciens, siti æstuans, à muliercula botrum sibi dari petijt, qua per irrisiõnem respondente, terram esse salis quàm vini feraciorem, sit ita, sanctus ait, salem gignat deinceps terra non dulcem vini liquorem. Verùm id lector dijudica, ego nec probauerim sanè, nec reproba-uerim.

CAPVT QVARTVM.

Mons Crucis.



St & prope eandem ciuitatem Salinarum duodecim millibus distans mons excelsus, mons Crucis nuncupatus, vt incolæ asserunt, omnibus terræ montibus altior. In huius montis cacumine sacellum extat fabrefactum, in quo crux visitur prodigiosæ virtutis, quam ferunt incolæ tempore passionis Christi fabricatam fuisse, & quoniam extenso per eam Iesu nimis arta fuerit, reiecta est. Cyprij asserunt esse hanc crucem boni latronis: reliqui verò putant veræ crucis Christi partem huic esse inclusam, cuius virtute crebra fiant miracula, ita vt nobis præsentibus illustris quædam Domina per hanc crucem ab immundo dæmone liberata fuerit. Est autem vndiq; incrustata argento, sumptibus cuiusdam nobilis viri ex Gallia, ne frustratim in partes secta tolleretur.

QVINTVM CAPVT.

Famagusta



Ons hic (vt dixi) altissimus est, & accessu difficilis itineris, scilicet duarum noctium in ascensu, iuxta quem ad triginta milliaria vrbes sunt insignes, vt diximus, Famagusta omnium vrbiũ fortissima, & Leucosia

pulchra, in qua requiescit corpus Diui Iohannis Montis fortis, ex cuius tumba continuò dulce scaturit manna. Alia ciuitas in hoc regno antiquissima, atq; metropolis, Paphos dicitur, vetustissimi Paphos, autoribus celebrata, in qua septem fratres Macchabæi vnà cum matre inclyto martyrio coronati sunt. Nos autem hoc facinum subterraneum, in honore martyrum, septem sacellis distinctum, multa deuotione ingressi sumus, singuli septena luminaria accensa gestantes. In huius loci medio fons scaturit largissimis aquis, quæ potæ à febribus curare creduntur.

CAPVT SEXTVM.



Aphos ruinis plena videtur, templis tamen frequentis, inter quæ Latina sunt præstantiora, in quibus ritu Romano diuina peraguntur, & Gallorum legibus viuunt. Fructus canamellæ abundat, & vili emitur. Vina præstantia colliguntur, vnde botrus Cypri sacra in scriptura laudatur miræ magnitudinis, saporis præcipui, vt rectè Salomon dixerit, Botrus Cypri in vineis En⁹ Botrus Cypri gaddi. In Cypro etiam poma, quæ Paradisi vocant, crescunt mi- pri. randa, figura cucumeris magnitudinis visendæ, planta magis Poma Pda quàm arbore, cuius folia quatuor palmos habent in latum, longa radifi. ad humani corporis staturam. His pomis grana insunt ferè centena, figuræ sphericæ, longitudine trium digitorum vel circa, quæ decorticata humano vsui seruiunt. Arbor hæc trium annorum periodo emoritur, & ex radice eius renascitur alia.

CAPVT SEPTIMVM.



Ves Cypriæ parum laudandæ, sed admirandæ, villo Oues Cypriæ magis quàm lana teguntur. Carnes sapore graues, priæ. odore grauiore. Aries hic visitur septicornis, cauda prodigiosa in longum, habes tres pedes, in latum verò paulò minus, ita vt singulis arietibus bigæ, quibus caudas post se trahant, alligentur, quod nisi credas lector atq; auditor, in Cyprum vade spectatum. Aries decem solidis Gallicæ monetæ venditur. Quod si quæras, quare tam ignobile

E e

pecus

pecus nutritur? Respondeo, ob lanam villosam, ex qua tapetes, & reliqua stragula, iuncta lana caprina, conficiuntur. Nam carnes (vt dixi) sunt esu difficiles, cauda ramē reliquo corpore paulo delicatiorē. Aer plerunq; in Cypro pestilens est, quofit, vt multa venenata animalia ibidem nascentur, inter quæ est quoddam genus insectorum, quod locustas vocant. Nascentur borea flante per Cyprum, infestum terræ nascentibus, adeo vt agminatim per aërem feratur, & vbi ceciderit virentia quæq; devorat. Terræ motus etiam in Cypro frequens est, quo multa plerunq; ædificia subruuntur. Quare habitatores Cypri humiles domos & ferè subterraneas incolunt, vt altiores casus euadant iuxta illud Poëtæ: feriunt summos fulgura montes. Et illud: humili casa securius dormitur. Tum ob aëris temperiem, vt frigus capient opacum. Est enim mirus illis regionibus calor æstiuus temporibus, adeo vt domibus rarissimi dormiant, timentes calores inclusos parietibus, sed in pomarijs, viridarijs & hortis lectos sibi parant in hunc modum. Eligitur medio horto arbor frondosior, à cuius ramis suspensa propendent tentoria, inter quæ stratus honestus componitur, & sic per hortos tentoriatis dormitur, tanta securitate, vt puellæ ac matronæ illustres, solæ dormiant citra omnem incursionem, nec quis audet cubiculum inermē irrumpere, timens legum ultionem. Quinetiam omnis mundus muliebris his repositus tentorijs manet tutus à furibus. Vigent enim leges in his terris, nec quisquam alteri citra mulctam est iniurius, adeo vt si qui gladijs dimicare inceperint, mox exhibiti iudici pugnæ amputatis dant poenas, quæ lex etiam inuoluit plerunq; extraneos.



TOMVS

TOMVS QVINTVS
DE DIMENSIONE
PALÆSTINÆ, IDEST
TERRÆ SANCTÆ, DE NATV
RA SOLI ET PROVENTIBVS, DE RE
gno Iuda & Israhel, de Syria, Arabia, & Galilæa, de terminis ter
ræ promissionis à fluuio Ægypti, & à magno Euphrate,
Dan & Bersabee, de fortibus tribuum ultra ci
traq; Iordanem, graphice disputat,
continetq; capitula
septem.

CAPVT PRIMVM.



Oluentes Cypro die Martis sequenti mensis Iulij circa meridiem, nauigantes per medium maris ita promouimus, vt die Iouis sequenti hora meridiana Terram sanctam, & portum Ioppe, è naui videre. Terra sancta
mus, speculantes autem Terram illam sanctam à sta.
longè, per tot labores & anxias curas quæsitam, primum mirè omnes gauisi sumus. Hinc qui gemitus, quæ suspiria, quæ la
chrymæ in nobis, quis dicere sufficiat? Alius gaudio tacitus se
cum orabat, alius voce elata velut amens præ deuotione canta
bat, alius genu flexo, iunctisq; manibus adorabat, omnes autem in hos Dauidici Psalmi versus erupimus: Ecce introibimus in tabernaculum Domini, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius, &c.

CAPVT SECVNDVM.



Acti ergo tutum portum Ioppe, & compotes voti effecti, generalem Terræ sanctæ descriptionem aggre
diemur, id postulantibus loco & tempore, vt sci
licer de huius inclytæ terræ situ, dimensu, prouen
tibus disseramus. Ergo Terra hæc sancta ipsa est Eiusdem
rot celebrata sacræ scripturæ præconijs, toties Dei ore laudata
Ec 2 & λoγιοι.

& Israëlítico populo promissa, unde hæc terra promissionis in scripturis vocatur. Hæc per victoriosissimum Ducem Iosua (teste eius libro) duodecim tribubus est diuisa in funiculo distributionis, deletis in ea septem nationibus famosis, cælisque Regibus 32. Huius terræ pars vna regnum Iudæ nuncupatur, continens sortem duarum tribuum, Iudæ & Benjamin: altera pars regnum Samariæ, quod regnum Israel, vel decem tribuum nominatur. Hæc duo regna cum prouincia Philisteorum maritima, cumque Decapoli, Terra sancta est, à Cosmographis Palæstina vocata, quæ magnæ Syriæ pars est. Porro Syriæ triplices apud Scriptores leguntur: Syria Mesopotamiæ, Syria Coeles & Syria Phenices. Est & Syria Damasci, aliàs Syria Lybanica dicta. Quinta autem magnæ Syriæ pars est Palæstina, à nobis terra sancta dicta, quæ in tres portiones secatur. Prima est, cuius metropolis est sancta Hierusalem, continens montes & colles Iudææ, quæ extenditur ad mare mortuum, atque desertum Cadesbarne. Secunda est, cuius metropolis est Cæsarea maritima, quæ totam Philistiorum regionem complectitur, incipiens à Petra incisa, quæ castrum peregrinorum dicitur, vsque Gazam, urbem Philistijm, tendens contra meridiem. Tertia est, cuius metropolis Bethsan in monte Gelboë iuxta fluentia Iordanis, quæ antiquitus Scythopolis dicta fuit. Hæc regio propriè Galilæa, siue campus magnus Eldrelon & Mageddo vocatur.

TERTIVM CAPVT.

Arabia
triplex.



Rabia similiter tres portiones sortitur. Primæ metropolis est Bosra, olim Bersa, nunc Burseth dicta. Huic Trachonitidis & Ithureæ regio iungitur ab occasu, Damascus autem à Borea, qua de causa Arabia nonnunquam Syria Damasci vocatur. Secundæ metropolis est Petra vrbs in torrente Arnon, olim Naboth dicta, quæ erat in dominio filiorum Ammon, complectens regna Seon, Elebon, Basan, & montem Galaad. Tertiæ metropolis est Mons regalis, nunc Charach, olim Petra deserti vocata, supra mare mortuum sita. Hæc continet terram Moab, quam & Syriam Sobal, scriptura appellat, continetque etiam totam Idumæam, siue montem

montem Seir, omnemque regionem circa mare mortuum, vsque Cadesbarne, & Aquas contradictionis versus rubrum mare per altissimas & ferales solitudines, vsque ad magnum Euphratem. Et hæc est Arabia magna, in qua Mecha vrbs est, & spurcissimi Mahumeri sepulchrum.

QVARTVM. CAPVT



Is diligenter perspectis, Christiane lector, colligimus Terræ sanctæ longitudinem incipere ab Aquilone sub monte Libano, vbi sita est Cæsarea Philippi, nunc Venetas, olim Dan, siue Lachis vocata. Porro protenditur contra Austrum vsque Bersabee Iudæ, quæ nunc Gibelin dicitur, propinqua deserto magno. Hæc longitudo in sacris literis creberrimè insinuatur, dum dicitur: Congregatus est Israel omnis à Dan vsque Bersabee. Iuxta hanc dimensionem tota terra sancta citra Iordanem in latitudine iusta est quinquaginta duorum milliarum ab Iordane vsque ad mare magnum, hoc est, ab Oriente in Occidentem. Porro longitudo, quæ sumitur ab Aquilone in Austrum, scilicet à Dam vsque Bersabee, continet milliarum 240. Terra autem vltra Iordanem, quæ erat duarum tribuum, scilicet Gad & Ruben, & dimidiæ tribus Manassæ, quantum visu assequi potui, credo à mari Galilææ vsque ad torrentem Arnon, quæ est longitudo eius, quinquaginta quatuor milliaribus contineri.

QVINTVM CAPVT.



Hæc, quæ diximus de terræ sanctæ dimensu, partim visu experti sumus, partim probatorum scriptorum, Moysis, Iosue, atque Iosephi possunt probari. Nôris tamen, Lector, omnem terram Israëlitis promissam, ferè modico tempore fuisse possessam. Nam cum Philisteis, cum filiis Ammon ac Moab, Idumæisque nunc pro suis finibus tuendis, nunc pro alienis occupandis, continua ferè bella gessere. Sed & Deus ipse crebrò in scriptura testatur populo, non omnes delendos habitantes terræ, tum ne deserta terra, & raro habitatore, in-

Israelita-
rum conti-
nua bella.

David.

crescerent bestiae contra filios Israël, tum ad exercitium Israël. Sunt igitur relictæ certæ nationes, quæ essent voce Dei, quasi iudes in oculis eorum. Adde quod exigentibus peccatis eorum, maxime idolatriæ, indigni erant filij Israël, promissa terra potiri, quin à sedibus suis per hostes crebro fuere expulsi, & multis malis afflicti. David tamen manu forti & Ioab princeps militiæ, armis omnia vendicârunt; traiecto etiam magno flumine Euphrate, it, aut Salomoni pacificum regnum pararetur.

SEXTVM CAPVT.



Ostulat locus, ut de qualitate & prouentibus Terræ sanctæ paucis disseramus, de qua re magna est inter auctores dissensio: Nam dicunt nonnulli, Terram sanctam esse saxosam & sterilem, quæ non tam natura soli, quam Dei beneficio singulari fructus & alia vitæ necessaria progerminet. Hi originem erroris sumpsere ex prauo intellectu autoritatis scriptæ in libro Deuteronomio: qua dixit Moyses ad filios Israël: Cum ingressi fueritis terram, quam Dominus Deus daturus est vobis, caute, ne vnquam obliuiscamini Domini Dei vestri. Terra enim, ad quam ingredimini possidendam, non est sicut reliquæ terrarum, sed de cælo expectans benedictionem. Alij autem dicunt (id quod verissimum est) terram hanc esse omnium fertilissimam, amoenissimamque non solum quod experientia probat, sed etiam sacra scriptura multis in locis testatur. Vnde Iacob ex hac terra, Chanaan olim dicta, mittens filios in Ægyptum, dixit, Sumite de optimis terræ frugibus. Sed & Iosua & Caleb, allatum in veste botrum monstrantes Moysi & populo Israël, ostenderunt exploratorum mendacia. Videas, lector amice, in hac terra montes herbidos, prata amœna, agros odoros, ubi passim velut in hortis cultis crescit feniculum, salu-ruta, rosa. Hic bombax abundat & Canamellæ, unde saccharum educitur. Sunt etiam poma præstantia varij generis, optimi odoris, cedri, citri, limones, anarangi, ficus, mala granata, oliuæ, pepones, citrulli, melones, dactyli, racemi, legumina optima, frumenta præstantissima. Poma varij generis toto anno ex arboribus leguntur, ex vitibus singulo anno ter vindemiæ colliguntur, quod

Terra
sancta
terrarum
princeps.

quod partim sit arte, partim natura. Terra sancta etiam bestiis, pecude varia, & auibus pluriformibus abundat. Hic vrsi, sues syluestras, cerui, damulæ, capræ, lepores, cuniculi, coturnices, turtures, quantum vspiciam terrarum abundant. Hic leones, leopardi, cameli, dromedarii, asini, muli, equi in magna copia. Porro arbores præstantes, palmæ, terebinthi, cedri, cypressi, & omnium præstantissima Balsami. Rectè ergo Moyses ille pietissimus auctoritate Dei populum Israel contestatur, dicens Deuteronomio. cap. 8. Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam riuorum, aquarum & fontium, in cuius campis & montibus erumpunt fluuiores, abyssi, terram frumenti, hordei ac vinearum, in qua ficus & mala granata nascuntur, terram olei & mellis, ubi absque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia fruieris. Clarum tamen est omnibus viris prudentibus, multum utilitatis & amœnitatis eripi terræ sanctæ neglectu & vitij incolarum.

CAPVT SEPTIMVM.



Ro Terræ sanctæ clariore noticia, & eius exactiore descriptione, secundum sortes tribuum sequendo Iosephum, dicimus, quod tribus Iudæ sortita est superiorem regionem, cuius longitudo extenditur ab Hierusalem vsque Ægyptum septem diebus, latitudo à lacu Alphaltite, quod est mare mortuum, vsque ad mare magnū, siue mediterraneum, & est triginta miliarium. Simeonis fors currit cum Iuda ex ea parte, quæ est iuxta Ægyptum in monte Arabiæ, & eius dimensione continetur. Benjamin tribus sortita est terram à Iordane vsque ad mare magnū, longitudine triginta miliarium, latitudine à Hierusalem vsque Bethel 8. ferè miliarium. Ephraim fors erat à Iordane vsque, Gaderam prope Ioppen in longum. Latitudo extenditur vsque ad magnum campum Eldre-lon, ubi incipit Galilæa continetque 24. miliaria. Manassè dimidia tribus cum Ruben terram sortita est ultra Iordanem; reliqua pars Manassæ citra Iordanem terram obtinuit à Iordane vsque ad mare magnum prope Doram, cuius longitudo est 30. miliarium. Iasachar terram

Finis tri-
buum.

*Itabyriū. terram accepit Iordanis ad Carmelum iuxta Maceda, longitudine 16 milliarium, latitudine ab Bethsan vsq; ad montem *Taburijm decem milliarium. Zabulon sortita est Carmelum vsq; Genazareth, duodeuiginti milliariibus in longum, à Thabor per vallem Carmeleam pingui solo 10. milliariibus in latum. Aser tribus sortita est terram à Carmelo vsq; ad magnam Sidonem 40. milliariibus in longum, à mari magno vsq; Naafon duodeuiginti milliariibus in latum. Neptalim tribus sortita est Galilæam superiorem vsq; ad montem Libani, fontesq; Iordanis 20. milliariibus in longum, à mari Galilææ vsq; ad Libanum 10. milliariibus in latum. Dan tribus sortita est loca conuallium magni maris intra Azotum & Doram, in longum, Iamnam, Gerh & Accaron vsque Bethoron, longitudine tribus Iudæ & Beniamin, intra cuius terminos sortem accepit.

SEXTVS TOMVS

DERITV PEREGRINORVM IN PORTV IOPPE, DE ITINERE IN SOLYMAM SANCTAM, DE RAMA VETERI, de Emaus siue Nycopoli, de Lydda & Dorcade, de montibus Hierosolymitanis, de situ sanctæ vrbis, & spacio & nominibus, de distantia eius ab insignioribus locis pulchrè pertractat, & habet capitula septem.

PRIMVM CAPVT.



Is prælibatis, ad iter nostrum regrediendum est. Igitur naui in statione Ioppenſis portus recepta, expectauimus donec misſo per patronum nostram ad præfectum Hierusalem, nuncio, saluum conductum obtineremus. Antè enim exire nauem fas non est, nisi summo periculo vitæ. Porro præfectus vnà cum custode

stode fratrum minorum montis Sion aduenit, quo morante paupers in littore, cœnobita Minoritan? nostram nauem conscendens, hac exhortatione vsus est, dicens: Saluete fratres Christiani. Venistis huc summis laboribus atque impensis opinione mea, vt sanctissima loca visitando veneraremini. Quamobrem ne tanti laboris atq; itineris fructu frustreremini, me paucis intelligite. Primum Christi amorem puro corde concipite, vt sacram sacrorum locorum virtutem percipere digni sitis. Deinde patientiæ clypeo vos munite, si quæ aduersa inciderint, memores longè maiora Iesum Christum, verum Deum, in hac terra pro vobis tolerasse. Postremum ascendentes in terram, manus Turcæ, aut præfecti Hierosolymitani (iuxta consuetum morem) flexo genu osculamini, & inter scribæ manus (ne quis ex vobis pereat) nomina & cognomina date. Horum memores confitemini in commune, vt si quo vinculo excommunicationis teneamini, vos absoluerè possitis, vt digni sitis harum gratiarum participes fieri.

Minoritæ
Hierosol.
N. d. v. e.
hospitales.

SECUNDVM CAPVT.



Is factis, mox nauem egressi, & ascendentes in terram, genu flexo manus præfecti exosculamur, damus nomina, & mox numerati, mittimur in speluncam, cum serpentibus, camelionibus inter feces diem agentes & noctem, donec veniente custodia militari conscensis atinis progredi liceat. Porro Ioppe, nunc Iapha dicta, olim vrbs celebratissima, ad quam fugit Ionas à facie Domini, quam Iaphet, filius Noë construxit, nunc penitus euerſa est. De qua multa non solum in sacris literis, maximè in libris Macchabaorum & in actis Apostolorum leguntur, verum etiam apud Cosmographos & Poëtas huius loci est mentio. Hic ostenditur beati Petri Apostoli hospitium. Est etiam sacellum iuxta mare sub rupibus vetustæ memoriæ, & venerandum, sunt & scopuli illi è mari prominentes, ad quos Poëtæ fabulantur, Andromeda, Cephei filiam, alligatam fuisse, & à Perſeo liberatam. Sed res hæc vt reliquæ similes poëtici velaminibus abscondita est. Propè hunc portum ad dexteram ingens saxum visitur, super quo Petrus Apostolus legitur abluisse retia, Christo veniente.

Ioppe.

Andromeda.
da. q. v. de
Syntagma
nostrum de
regno My-
cenæo.

Ff

TER-

TERTIVM CAPVT.

Rams.



De ergo Lunæ sequenti, quæ tunc habebatur solennitas Diuæ Magdalene, consensu alius properauimus in Rama, dato tamen tributo ad valorem duorum Carolorum pro quolibet monetæ Franciæ publicanis, dominis Ramæ. Porro Rama distat ab Ioppe 8. milliariis, itinere plano atq; ameno, ad quam eadem die Lunæ post meridiem, Deo duce, peruenimus, & in quadam domo ruinosa, olim à Burgundiæ Duce constructa pro peregrinantibus mansimus, pauperrimè hospitati. Nam licet in Rama sint ædificia multa, nobis tamen hospitium aliud non paruit. Hic ergo quiescentes per noctem, audiuius Turcas suo Mahumeto nocturnas quasdam preces per fletum & eiulatum dicentes. Est autem multiplex Rama. Prima iuxta Thecuam in via Hebron. Secunda in Neptalim proxima castro Sepherth. Tertia iuxta Sepheron. Quarta in Silo. Quinta iuxta Gabaa, de qua nunc loquimur, & omnes in montibus constructæ sunt. Hæc nostra Rama est, de qua legitur in Euangelio, & in Jeremia Propheta: Vox in Rama audita est. Hæc olim Ramatha Sophim dicta fuit, sita in monte Ephraim, ex qua Samuel Propheta, & iudex Israël, ortus fuit, & ibi sepultus. Sic enim scribitur in primo Regum cap. 25. Mortuus est Samuel, & congregatus est omnis Israël, & planxerunt eum nimis, & sepelierunt eum in Ramatha Sophim in domo sua. Hæc postea dicta fuit Arimathia in Euangelio, ex qua fuit sanctus ille Ioseph, nobilis decurio, qui corpus Iesu honestè sepeliri curauit. Nunc verò Ramula nuncupatur. In hac vrbe palmæ abundant, & præcellæ turres eminent, in quibus lampades oliuo perpetuo ardent. Non enim vllus vsus est candelarum & cereorum apud Turcas. In his turribus etiam corpora nobilium Turcarum reponuntur, vt cælo sint propinquiora & ad eorum sepulchra continuò Mahumetici preces dicunt.

Iosephus
dcurio.

QVARTVM CAPVT.

* cap. 9.



De sinistram Ramæ oppidum Lydda visitur, de quo in actibus Apostolorum fit mentio. Narratur enim Actor: 29. cap: quod Ioppe fuit quædam discipula, dicta Hebraicè Tabita, Græcè Dorcas, Latine Damula, hæc erat plena operibus bonis.

bus bonis. Mortua est autem in Ioppe eo tempore, quo Petrus erat in Lydda. Discipuli ergo totum corpusculum posuerunt in coenaculum, mittentes duos viros in Lyddam ad sanctum Petrum, rogantes vt citius venire dignaretur. Petrus ergo continuò surgens, venit in Ioppe, & flentibus pauperibus super morte Dorcadis, Petrus eiecit omnes de coenaculo, conuersusq; ad orationem & genibus flexis, orauit, dixitq;: Tabita, surge, quæ surrexit atq; resedit, & viuentibus se miscuit. Porro locorum insignia hodie monstrantur in Ioppe, & in Lydda, vbi est templum satis pulchrum, quo loco olim Diuus Georgius pro fide, capite truncatus est. Ergo die Martis prædicti mensis 23. circa auroram egressi de Rama, comitatu & conductu Turcarum iter fecimus per desertum: in quo grauem Arabum incursionem non sine vulnere & sanguine custodiæ nostræ perpessi sumus. Arabes enim prædonum more cum gladijs & lanceis discurrent, quicquid in via repperint prædæ loco rapientes. Nos autem pacti cum eis, asinantes transiimus castellum Emaus, quæ insigni miraculo Dominicæ apparitionis in Euangelio Lucæ est celebris, olim castellum, postea vrbs, dicta Nicopolis, nunc diruta, pastuo extante ædificio. Hinc ad sanctam Hierusalem alacri pede, & summa deuotione peruenimus. Et à fratribus minoribus montis Sion benignè fuimus recepti, & per eos in hospitium conducti, substratis rapetibus, per noctem dormiuimus.

Georgius
Martyr.

Arabes
prædones.

Emaus.

CAPVT QVINTVM.



De Auid regius Propheta, sanctam ciuitatem carmine laudans, dixit: Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem, montes in circuitu eius, &c. Horum ergo montium numerum & dispositionem speculemur. Ab Oriente imminet sanctæ vrbi mons Oliuarum, ceteris altior, de cuius locis sacris & templis suo loco dicemus. Verò Hierosolymus Astrum mons est prædicto minor, dictus mons offensionis, eò mæ adiacens quod Salomon, vt scribitur in 3. Regum, idolum Moloch posuerit centes montem ibidem è regione Templi sacri, Deum excelsum ad iracundiam tes. prouocans. Inter Orientem & Austrum mons est valde excelsus imminens agro Akeldama, propè quæ est mons Gihon ab occidente.

Ff 2

Porro

Porro ab Aquilone mons est præaltus, distans ab vrbe quatuor stadijs, in quo Salomon Chamos, idolo Moabitarum templum erexit, vt scribitur in tertio Regum. Tempore verò Macchæorum in hoc monte arx constructa fuit, vnde Solyma vrbs valde infestata fuit. Huius arcis vestigia hodie permanent. Omnes hi montes præscripti temporibus lapsis non adeò propinqui fuere mœnibus sanctę ciuitatis, vt ex eis de propinquo ciuitas oppugnari potuisset. Sunt & alij plariq; montes, rebus gestis insignes, de quibus ordine per peregrinationes dicemus. Sunt autem hi montes fructiferi, nec prærupti nimis, nec laxofi.

SEXTVM CAPVT.



Porro de sanctę vrbs Hierusalem situ pro mea virili inuestigans, comperi, quod antiquitus sicut hodie mons Sion superemineat vrbi, qui incipit à porta aquarum, siue fontis Siloë, contra Orientem, & cingitur geminis vallibus, vna ad Austrum, vbi quondam fuerit turris Dauid, altera ad Aquilonem, eratq; ciuitati pro vallo. In hoc monte Sion, rex Dauid sibi constituit mansionem, vbi & multi reges Iuda sepulti quiescunt. Regio autem sanctę vrbs, fertilis est & amœna, præterquam contra Orientem & Iordanem. Distat autem Solyma ab Achon, quę olim Ptolomaida dicebatur, milliaribus septem ad Aquilonem situ montoso, à Sebaste, olim Samaria dicta, à Samarite, filio Chanaan, triginta duobus milliaribus, à Sichem, quę Sichar in Euangelio nominatur, vigintri milliaribus, à Nazareth quadraginta quatuor milliaribus: Contra Aquilonem ab Ioppe quadraginta milliaribus, à Hiericho quatuor millibus, à Bethlehem quindecim, à Thecua octo millibus, ab Hebron decem & octo millibus.

CAPVT SEPTIMVM.

Hierosolyma situs.



Rbs sancta sita est in pristino loco, & antiqua regione habitatur. Fuit tamen per plures principes reparata, & ampliata taliter, vt pleraq; loca sancta, olim extra urbem sita, nunc mœnibus includantur,

dantur, inter quę est Caluarie mons sacrosanctus, & hortus Domini sepulchri sanctissimus. Ambitus Solymę maior vnum milliare habet per diametrum, tria in circumferentia, ita vt non sit paruitate angusta, nec amplitudine nimis vasta, sed medio spacio cuiusq; illustri vrbi comparanda. Quę præ insignibus meritis multa nomina habet. Vocatur enim Iebus in libro Iudicum, vocatur Solyma, Hierosolyma, Hierusalem, & Elia ab Elia Adriano Imperatore, qui eam post vastationem Vespasiani reparauit. Friuolum tamen esse credo, Solymam esse, quę in scripturis Luza & Bethel vocetur, cum ex commentario Diui Hieronymi facile probari possit, contrarium esse, scilicet Bethel & Luzam oppida à Solyma satis longè distantia.

TOMVS SEPTIMVS

DE LOCIS SACRIS
VRBIS SANCTISSIMÆ,
DE COENOBIO MONTIS
SION, ET DE EIVS SACELLIS, DE COENACULO magno Coenę sacrosanctę, de monte Caluarie longè sacerrimo, de templo gloriosissimi sepulchri, de sancti sepulchri fabrica, de ritu militum creatorum ordine enarrat, continetq; capitula septem.

PRIMVM CAPVT.



Gite nunc sumpto spiritu feruoris sanctam ingrediamur ciuitatem dicentes cum Propheta Dauid: Ego autem in multitudine misericordię tuę introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Nam si regi Dauid in laudem Solymę licuit dicere: Fundamenta in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob, quam gloriosè dicta sunt de te, ciuitas Dei, ante diuinorum

Pisani.

myfteriorum Chrifti celebrationem: quanto magis conuenit, nos eiusdem vrbs promere laudes post mundi salutem ibidem per tot sacramenta patratam. Egreſſi ergo hoſpitale noſtrum gratia peregrinationis, primū offendimus caſtrum forte, ſoliſ & turribus cinctum, per potentes olim, nunc autem deiectos, Piſanos, in loco turris Dauid conſtructum, quo tempore Piſani terræ ſanctæ tenebant dominium, quam terram Sultano turpiſſimo lucro proſtituerunt, ſuereq; primi, qui à terræ ſanctæ peregrinis ſacrilegum exegere tributū, digni Dei iudicio, vt propter hoc ſcelus ſerui dominarentur eorum, quod impletum videmus in Florentinis.

SECVNDVM CAPVT.

Templum
montis
Sion.

IN craſtinum templum montis Sion ingreſſi, peracto ſacro ritu ſolenni per fratres minoritas, auditaq; Fratris concione, cereos tenuimus accenſos in manibus, & ſocietati Fratribus, cum canticis & hymnis ordine loca ſancta pro noſtra fragilitate cæpimus viſitare, lachrymis pleni. Primò in templo Fratrum perquam deuotè vidimus locum, in quo Chriſtus vltimam celebrans cœnam, agnum Paſchalem comedit, quo loco maius altare veneranter erectum eſt. Nam ibidem Jeſus ſacramenta corporis & ſanguinis nobis ſumenda inſtituit. Secundò in eodem templo à cornu altaris dextro viſitauimus locum, quo Chriſtus ſumma charitate lauit pedes fratrum ſuorum, & multa myſteria profundo ſermone declarauit, vbi erectum eſt venerandum altare. Tertiò in ſuperiori huiusdem templi parte ſummo amore locus viſitur, quo Chriſtus in die Pentecoſtes Apoſtoliſ alium miſit paracletum in igneis linguis, tribuens eis chariſmatum dona. Quartò in inferioribus huius templi ſacellum ingreſſi ſumus non citra ſtuporem, quo Thomas Didymus digitum in vulnera, & manum miſit in Chriſti latus ſacroſanctum, ſua dubitatione noſtram ſolidans fidem. In huius ſacelli altari eſt columnæ magna pars, ad quam Chriſtus in Caiphæ domo creditur ligatus & cæſus, cuius cæſionis ſigna veluti cæræ impreſſa videntur. Quintò, facta hac proceſſione intra parietes templi, venimus ad lapidem, in quo loco Diuus Matthias in locum Iudæ dam-nati ſorte diuina eſt ſubſtitutus. Sextò ab hinc octo paſſus progreſſi,

Matthias
Apoſtolus.

greſſi, veneranter ad locum acceſſimus, quo Diua virgo Maria migravit à ſeculo triſti, qui locus ſtratis ordine lapidibus cingitur, ne vlla im mundicie maculetur. Nam olim ibi fuit templum decorum, vt probat ruina. Septimò quindecim paſſus ab hoc loco progreſſi vidimus lapidem, ſuper quem ſanctus Iacobus minor in Episcopum Hieroſolymitanum fuit electus. Octauò hic prope locus veneratur in quo Diuus Iohannes Euangelista, ſacraſſimè virgini dietim ſacra celebrabat. Nonò vidimus locum, in quo paſchalis agnus nocte cænæ fuit aſſatus. Decimò venimus ad ſepulchra regum Iuda, Dauid, Salomonis & reliquorum, quæ partim in Eccleſia, partim extrà magno ornatu conſtructa. Nunc temporis in hoc loco Turcæ Melquitam erexerunt. Vndecimò, quinque paſſuū ſpatio progreſſi, offendimus duos lapides, in quorum vno Chriſtus prædicans ſedit, in altero Beata virgo ſermonem filij audiuit. Duodecimò, prope mœnia vrbis Diui Stephani ſepulchrum colitur. Decimotertiò, progreſſi à cœnobio montis Sion quinquaginta paſſibus, Caiphæ domum ſumus ingreſſi, in cuius porticu parua, locus oſtenditur, in quo Petrus Chriſtum negauit. Hic pulchrum ſacellum erectum eſt, quod Armenij tenent, in cuius medio locus eſt, in quo Caiphæ Chriſtum illuſum interrogauit. Viſitur etiam à dextris fenestra, in qua gallus neganti Petro ter cecinit. Carcer quoq; Domini hic eſt, in quem poſt illuſiones nocturnas Chriſtus demiſſus reſertur.

Iacobus
minor.

Mauſolea
regum Iu-
daicæ.

TERTIVM CAPVT.



Nunc ad loca ſacraſſima montis Caluarie & ſancti ſepulchri properemus. Die ergo Mercurij eadem circa Solis occaſum, comitati Turcis, ſanctum Domini ſepulchrum ingreſſi ſumus, deuotione pleni, & maximo lachrymarum rore perſuſi, ibidem pernoſtauiſmus. Deinde ordinata proceſſione incedentes, præ ſoribus ſancti ſepulchri omnes nominatim vocati per ſcribam Sultani, apertis valuis, moxq; poſt ingreſſum noſtrum recluſis, cereos geſtantes in manibus primò ſacellum ingreſſi ſumus, in quo Chriſtus ſacra nocte Paſchæ glorioſo in corpore virgini

Mons Cal-
uarie.

virgini matri primò apparuit. In hoc sacello cruce, clau, spon-
gia, lancea, inuenta per Helenam Imperatricem, fuerunt reposita,
donec experimento facto per luscitationem mortui vera crux
Christi comprobaretur. In huius sacelli fenestra quadam ma-
gna crucis pars per multa tempora in memoriam miraculi fuit
seruata. Est & grandis pars columnæ, ad quam Christus in Cai-
phæ domo ligatus fuit & cæsus, patentibus adhuc signis, cuius
columnæ altera pars in vrbe Roma, in templi diuæ Prædixis ho-
noratur.

Secundò inter dictum sacellum & sepulchrum Domini lo-
cus est, in quo summo diluculo Christus Magdalene dilectæ ap-
paruit in specie hortulani, in cuius rei memoriam duo hic saxa
visuntur lapidibus septa, in quorum vno Iesus, in altera Magda-
lena stabant colloquentes.

Tertiò versus septentrionem accessimus ad locum, in quo
Christus detentus creditur tempore, quo foramina crucis & alia
sacra passionis instrumenta pararentur. Ante hunc locum (qui
carcer Christi dicitur) in lapide quodam duo videntur foramina,
à Christianis mirè honorata, quæ creduntur constante fama vir-
tute diuina pedum Christi lapidi impressa, quæ bona fide dixisse
velim. Hoc loco hodie venerandum altare erectum est.

Quartò procedentes humilimè nudis capitibus & pedibus,
manibusq; iunctis, sacellum subterraneum ingredimur, in quo
sub sordibus & pulueribus Dominicæ passionis instrumenta,
crux, clau, spongia, lancea, corona fuere reperta per Iudam
quendam gentis suæ seniore, qui iussu Helenæ in carcerem
trusus, & fame maceratus fuit, donec cœlesti iudicio perfulgente,
ipse primus terræ fossor accessit, locum ostendit, & sacratissima
instrumenta Imperatrici Helenæ protulit. Erant autem de ierusa-
lema iudiciariam portam in quandam voraginem, aggestis desu-
per sordibus, vt citius putrescerent, in qua per ducentos ferè an-
nos latuerunt. Hoc sacellum vocatur Diuæ Helenæ.

Quintò post supradictum sacellum subterraneum aliud
templum in honore Imperatricis est erectum.

Sextò prope est sacellum, quo magna columnæ pars visi-
tur, ad quam Christus in prætorio Pilati dirè legitur flagellatus,
patentibus adhuc signis sanguinis preciosi ac funium. Quare à
fidelibus

fidelibus summa deuotione videtur, tangitur, adoratur. Huius
columnæ pars reliqua est Constantinopolim translata.

Septimo hinc accessimus ad sacellum, in quo altare pul-
chrum atq; marmoreum ostenditur in cuius loco Christi vestes
fuere partitæ, & fors missa super tunicam eius inconfutilem.

Q V A R T V M C A P V T.



Is peractis, ad deuotam peregrinationem sacratissi-
mi montis Caluarie præparamur, confessi purè,
communicati altaris mysterijs, & ardenti sermone
præmoniti. Moxq; per viam altis vocibus, sin-
gultibus & fletibus Dei misericordiam imploran-
tes, montem sacrosanctum ascendimus, situm ab occidente, olim
extra, nunc intra urbem comprehensum. Ascendimus autem
altitudinem decem & octo graduum, singulo gradu alto pede
cum dimidio. In montis medio foramen cernitur, auro argen-
toq; interius circumdatum, profundum palmis duobus & dimi-
dio, capax capitis humani, incredibilis planè sanctitatis & odoris
præcipui. Nam & totus Caluarie mons miris odoribus fragrat.
In hoc foramine sacrosancta crux nobili Christo onerata & con-
secrata pijs membris, fuit defixa, ad cuius aream rupes est, ad
quam ascenditur tribus gradibus, moxq; sacrum foramen oscu-
lamur, patentibus hinc inde aliarum duarum crucium forami-
nibus distantia inæquali, propter rupturam inter crucem Christi
& latronis sinistri, qua paulò longius sinistra crux semota fuit à
Christo. Ruptura hæc miræ profunditatis & longitudinis fa-
cta creditur cum reliquis miraculis, Christo expirante in cruce.
Distantia foraminis dextri à Christi crucis foramine est plus mi-
nus sex palmorum, distantia verò foraminis sinistri à cruce Chri-
sti palmorum vndecim. Extant autem duo altaria ab vtriusq;
lateribus, quorum dextrum in memoriam Diui Iohannis Eu-
angelistæ, Iesum patientem piè contemplantis, aut certè ob
merita boni latronis creditur fundatum, sinistrum verò in me-
moriâ depositionis corporis Christi per Ioseph & Nicodem-
um, quæ ibidem facta fuit, cum in his locis precioso sanguine
Christi totius mundi peccata sint expiata. Est etiam locus hic

Foramen
crucis
Christi.

Gg

insignitus

inlignitus marmore & mufico opere, in quo ftrata in terram cruce, Chriftus in ea fuit extenfus atq; eleuatus, antequam eleuaretur, operaturus falutem in medio terræ.

QVINTVM CAPVT.

Sacellum hoc montis Caluariæ ficut fanctitate omnibus præftat, ita fpeciofitate excellit. Eft enim ex-
ruftum marmore, parietes interius mundiffimo alabaftro recti, pauimentum miro ornatu ac coloribus variegatum, teftudo opere mufico & vermicu-

lato radiantibus laminis aureis, ita, num fpecie aut precio plus excellat, non facile dixeris: nec enim fimile opus in orbe terrarum credo reperiri. Profectò quia hoc facellum Chrifti crucis fixatione & redemptione generis humani eft confecratum, noueritis fideles lectores, quòd Iefus crucifixus faciem habuit ad occidentem, dorfum verò verfus ciuitatem, quòd ex eò patet, quia vorago, in quam cruce erant proieftæ, erat illo tempore retrò locum crucifixionis. Fuit enim foffa extra portam iudiciariam prope muros à parte occidentali. Ex quo colligitur manifefte, Golgatham, fivè Caluariæ montem, fuiſſe ante portam iudiciariam valde prope muros, ficut Iohannes teftatur in Euangelio, dicens prope ciuitatem Chriftum paffum. Locus autem beatiffimæ virginis non erat fub crucis brachio, fed antè faciem filij ferè ad occidentem in decliuo montis, vel rupis Caluariæ. In defcenfu montis Caluariæ in planicie Ecclefiæ vifitur locus, in quo Chriftus, à cruce demiffus (attellantibus Euangeliftis) per Iofeph ab Arimathea & Nicodemum, viros iuftos & timoratos, de con-
ceffione Pilati, mixtura myrrhæ & aloës fuit inunctus, & syndone munda, alijsq; linteis curioſè inuolutus, præſentibus Diua Virgine, reliquisq; mulieribus, circa exequias nobilis corporis multum follicitis. Sudarium apud Chamberiacum, Aliobrogum oppi-

Monumen-
ta Gode-
fridi &
Balduini,
regum
Hierofol:
dum, multa veneratione monſtratur fingulis annis in vigilia & die inuentionis fanctæ crucis. In radice montis funt ſepulchra Godefridi & Balduini de Bouillon, regum Hieruſalem, miro ſumptu extructa, æterna patriæ Lotharingorum, heroumq; de Boulon memoria digna.

CAPVT

SEXTVM CAPVT.

Inciam progredimur, viſuri ſepulchrum Chrifti glorioſum, diſtans à loco crucis Chrifti pedibus centum & nouem. Descenditur enim à loco crucis Chrifti ad ſuperficiem pauimenti Eccleſiæ ſpacio pedum viginti nouem, quòd reſultat ex decem & octo gradibus, & à principio pauimenti vltq; ad ſepulchrum ſpaciū eſt pedum 28. Eſt ergò diſpoſitio loci Dominicæ ſepulturæ talis. In media templiar ea ſepulchræ ſtant duæ domunculæ ſivè cryptæ: ſunt etenim è rupe cauatæ, Domini. interius & exterius parietibus marmore in Cruſtatis, teſto rudi iuxta naturam rupis exterius manentis. Hæ cryptæ contiguæ ſunt, & ſub eodem teſto, eiufdem longitudinis, latitudinis & altitudinis, habentes in longum ſeptem pedes intra parietes, ad quarum priorem intratur oſtio apertura ſatis patente, viſiturq; locus lapide ſignatus, vbi Angelus remouit verum lapidem ab oſtio monumenti, ſtantibus in hac crypta mulieribus. In altera ingreſſis per portulam, quæ eſt altitudinis pedum trium, & latitudinis pedum duorum cum dimidio vel circa, ita quòd medio corpore inclinato ingredi neceſſe ſit, à dextris eſt Chrifti ſepulchrum ſeptem pedibus longum inſtar cryptæ, octo palmis altum à pauimento, ex marmore candido atq; lucente. In hac crypta lampades multæ continuè ardentes lumen miniſtrant: ſunt enim parietes vndiq; ſolidi. Eſt autem hæc crypta vix trium hominum capax, ſacerdotis ſcilicet & duorum Clericorum, ſacrum ibi peragentium. Incurruntq; ſententiam excommunicationis peregrini, qui partes ſancti ſepulchri diripiunt. Quare per Fratres montis Sion honeſtis viris dantur particule ex foramine ſiniſtri lateris ſanctiſſimi ſepulchri.

SEPTIMVM CAPVT.

Hoc glorioſiſſimum Dominici ſepulchri templum ſicut eiufdem ſingulari gloria à Deo eſt clarificatum, ita ſumptuoſiſſimo templo. me & pulcherrimè à principibus Chriſtianis conſtructum, ornatum atq; ditatum plurimarum nationum fidei Chriſtianæ officijs ſanctis diu noctuq; frequentatur. Eſt enim hoc templum miræ altitudinis & amplitudinis, plurima (vt diximus) loca.

G g 2

*Iterata Pi-
sanorum
insecratio.*

*Ceremonia
inaugura-
tionis Equi-
tum Hie-
rosol:*

loca sancta includens, & ab utrisq; lateribus multis sacellis distin-
ctum, ut infra dicemus. Innititur columnis marmoreis septua-
ginta tribus, singulis supra basin triginta pedum altitudine ele-
uatis. In testudine artificiosae picturae mira colorum varietate
visuntur. Porro in testudinis medio super Domini Iesu glorio-
sum sepulchrum latè patet apertura rotunda miri (ut dicitur) ef-
fectus. Nam alij perhibent rorido caelo per hanc aperturam
dulcissimum manna super Christi sepulchrum saepe pluuisse. Alij
affirmant, ignem coelestem ministerio Angelorum per hanc de-
scendere solitum, a quo sancti sepulchri lampades fuerunt accen-
sae, iuxta illud Propheticum: Cadet de caelo super vos globus
ignis, à quo illuminabimini. Verum haec actis temporibus ob-
scelera PseudoChristianorum Pisanorum, ad gloriosum sepul-
chrum perpetrata cessauere, ut in antiquis gestis coenobij montis
Sion, vetustis libris fuimus edocti. Aperturam hanc multi prin-
cipes, pio zelo ducti, saepe claudere argenteis vel aureis laminis,
sed altero die solito more patuit, remotis laminis Angelico my-
sterio, quoniam Prophetarum erat, fore sepulchrum Christi glo-
riosum, sicut passio fuit ignominiosa. Ideo sacerrimus hic locus
non solum spiritalibus gratijs, atq; miraculis decoratur, sed etiam
militaris nobilitatis illustria dantur insignia, quibus peregrini
bonorum morum, atq; natalium, in milites Christi consecran-
tur. Hoc ritu solenni primum interrogantur, num illegitimi
sint, an infames, criminosi, aut suspecti in fide. Secundò in sacram
Christi militiam conscribuntur. Tertio dant militare sacramen-
tum. Quarto baltheo militari cinguntur, pendente à femore
gladio. Quintò exemptum ensẽ manu comprehendentes vi-
brant, dato iuramento per sphaeram capuli, crucem atq; mucro-
nem, semper pro fide Catholica, iustitia & terrae sanctae laudibus
se militaturos. Sextò aurata calcaria pedibus inferuntur, ut pa-
rati sint pro terra sancta (si res postulat) equos ascendere, virgẽ
sonipedem, ut equites aurati digni sint nominari. Pro his decem
aurei coronati in usum sacri sepulchri soluuntur. Origo autem
huius ordinis militaris est ad sepulturam Christi sanctam, & ho-
norificam memoriam, circa quam viri illustres & sancti officiosi
fuisse leguntur post mortem Christi in cruce. Nam Pilatus in-
terrogato Centurione, si iam Christus obijisset, & cognito, iussit
reddi

reddi corpus. Centurio percusso pectore, verè filius Dei erat iste,
dixit, & corpus Christi honorificè sepeliendum persuasit. Ioseph
ab Arimathia audacter corpus petijt, afferens mixturam myrrhae
& aloës. Nicodemus Magister in Israel, & amicus Christi, occul-
tus, Sindonem mundissimam attulit. Et ideo corpus preciosum
de cruce depositum, aromatibus conditum, linteis inuolutum,
assistentibus virgine gloriosa, & matronis nobilibus, in horto in
monumento nouo, clauso, signato, honorificentissimè sepul-
turae tradiderunt. Ecce origo militaris dignitatis, comparandae
ad Christi gloriosum sepulchrum. Restat ergò, hos milites sacros
eiusdem & maioris esse dignitatis, cuius sunt reliqui milites, eò
quòd hi vel ex progenie, vel vnus bello periculo hunc ordinem
consequuntur: illi autem ex multis laborib; periculis & sumpti-
bus suffragante pijsima causa, militaris ordinis consequuntur
insignia. Merito ergò eisdem & potioribus priuilegijs gaudent,
inter quae est, quod nuper ex terra sancta reuersi, si quod corpus
suspensum patibulo in via repererit, exempto gladio funem præ-
scindere possunt, & ut sepulturae mandetur, imperare.

*Ordinis
eius præ-
rogatiua.*

TOMVS OCTAVVS

DE SACELLIS TEM-
PLI SANCTI SEPVL-
CHRI, DE VARIIS NATIO-
NIBVS CHRISTIANORVM IN TEM-
plo, & eorum sacris, de alijs nationibus Christianorum per Ter-
ram sanctam, de comparatione Episcoporum Orientalium &
Occidentalium, de spurcis moribus Agarenorum & Sarraceno-
rum, de sacellis in atrio templi, de portis urbis Hierusalem,
de prætório Pilati & licostrato, de gemina sen-
tentia prolata in Christum, de Templo
Salomonis seriatim perdo-
cet, continetq; ca-
pit. octo.

PRIMUM CAPVT.

Deus noster sicut ante secula, teste Dauid, salutem operatus est in medio terræ, scilicet in monte Caluariae, ita suæ passionis virtutem in omnes nationes diffudit, dicente eodem Dauid: Non sunt loquelæ neque sermones, &c. In hoc enim sacro templo

Dominici sepulchri variæ sunt nationes, suis sacellis discretæ, quarum Cœnobita per terram sanctam & finitimas regiones habentur in magno numero, licet diuersis ritibus Christo famulantes. Et hæ singulis septimanis successiue & vicissim sacra mysteria peragunt in templo Dominici sepulchri.

Latini.

Prima natio est Latinorum, videlicet Fratrum sancti Francisci, quorum conuentus est in monte Sion, & hi tenent capellam virginis Mariæ. Hi primi sunt nomine ob dignitatem Ecclesiæ Romanæ. Fateor enim coram Christo Deo, me non reperisse ibidem laxioris vitæ Christianos, quàm Latinæ nationis, quod vnde accadat, nescio, nisi forte quòd omnium Romani imperij terrarum ob scelera facti profugi, terram sanctam, vt legum pœnas euadant, & liberè vitij indulgeant, accedunt. Cœlum planè ac solum mutantes, minimè animum. Horum vitia ac mores subtricebo.

Græci.

Natio secunda est Græcorum, ex pane azymo consecrantium. Hi varijs ritibus & opinionibus discordant ab occidentali Ecclesia. Videntur tamen miræ deuotionis in sacris officijs, & magnæ abstinentiæ. Horum Prælati omnes sunt Monachi, qui magnæ sunt apud eos venerationis. Habent suum Patriarcham, nihilominus Romanum Pontificem venerantur. Inter Latinos & Græcos magna est de rebus fidei controuersia. Quæ autem alteri præstet in fide, sacramentis & moribus, dies Domini declarabit. Ego quòd à prudenti & sancto viro audiui, hic inferam. Dixit enim: sicut Ecclesia orientalis ob nimiam paupertatem lapsa est in multa incommoda, ita occidentalis Ecclesia ob nimias pompas & diuitias desolabitur.

Apophtegma memorabile. Iacobitis.

Tertia natio est Iacobitarum, dicta à Iacobo, discipulo Patriarchæ Alexandrinæ Ecclesiæ. Hi occupant magnam partem Asiæ

Asiæ, & conuallem Mambre vsq; ad Egyptum, & Æthiopiam vsq; ad Indiam, ita vt credantur quadraginta regna tenere sub iugo. Hi circumcisionem suscipiunt, baptizantur in igne, accipientes characterem in fronte ferro ignito in modum crucis. Si Deo confitentur, in Christo vnâ tantum naturam prædicant, scilicet diuinam, vtuntur lingua Chaldæa, & Arabica, condempnati fuerunt in concilio Chalcedonensi. Videntur autem deuoti ac simplices victu ac vestitu: nam per Quadragesimam nec oleo vtuntur nec piscibus. Conficiunt in azymo, ingrediuntur templa erectis ad Dei honorem vexillis.

Quarta natio est Nestorianorum, quo denominantur à Nestorio hæretico Constantinopolitano. Hi ponunt in Christo duas personas, vnâ diuinam, alteram humanam, negant Diuam virginem Dei genitricem, conficiunt in fermentato, habitant Tartariam & Indiam maiorem, incolunt montem Libani propter Ichuræam regionem. Reputati autem sunt schismatici in Synodo Ephesina. Sermonem vtuntur Chaldæo & Arabico, in multis alijs similes Iacobitis.

Quinta natio est Armeniorum, qui Armeniam incolunt propè Antiochiam. Hi videntur boni ac simplices, vtuntur officio sicut Latini. Hi cum habeant linguam propriam & litteratam, ea vtuntur in sacris. Prælatos habent omnes Monachos, Seculares verò Præsbyteri minimè honorati sunt. Campanis carent vt Græci, conuocant populum ad sacra crepitaculis, vt nos facimus in hebdomada sancta. Sunt apud eos Vatrapi, qui eis sacram scripturam interpretantur. Sacerdotes seculares vxores ducunt, à die Lunæ vsq; ad Veneris diem minimè celebrant Missam, vt matrimonio vacent. In diuinis vulgari sermone vtuntur, vt ab omnibus intelligantur. Adulteri graui multa puniuntur. Hi à communi plebe discernuntur albo paniculo, quem humeris & collo circumdant. Parui furti rei castrantur, ne filios gignant paternorum criminum sectatores. Castrati pro Eunuchis seruiunt in ædibus magnatum. Doctores Græcos, Athanasium, Basilium, Chrysostomum, Nazianzenum mirè obseruant. In templis nil agunt aliud, quàm orant, corpus Christi inter thuribula & Cherubin deuotissimè leuant, atq; adorant, dulces hymnos, personantes.

Vestitu

Vestitu vtuntur vili atq; vulgari, adeò vt nec principes nec Reges preciosis vtantur. Hi primatem suum Catholicum vocant.

Georgiani. Sexta natio est Georgianorum. Hi à Beato Georgio nominantur, quoniam bellicosi sunt, & hoc patrono vtuntur. Habitant in partibus orientalibus, vtuntur lingua Græca in sacramentis. Horum Clerici coronas habent rotundas in capite, vulgares verò quadratas. Georgiani isti quando Hierosolymam eunt peregrinatum, Sultano tributum non soluunt, sed in Camelis, Dromedarijs & equis pompaticis venientes, erectis vexillis Hierosolymam ingrediuntur. Horum sœminæ vt mares armatæ incedunt. Pileis vtuntur vt Turcæ cubito altis. Sultanus ac Turcæ eos valdè timent. Commerantur in finibus Medorum, Persarum & Assyriorum

Suriani. Septima natio est Surianorum, qui à Sur, ciuitate Dei, denominantur. In sermone vulgari vtuntur lingua Sarraecica, Græca in sacris: nam & Græcorum ritus & opiniones sectantur. Horum aliqui dicuntur Samaritani, nec Moyli legem, nec Christi rectè tenentes, omnium planè miserrimi atq; auari. Hi disceruntur cingulo lanæ nigræ & albæ, vnde Christiani de zona beatæ virginis vocantur, quam dicunt se in pignus amoris à Diua virgine, ascendente in cœlum, recepisse.

**Christiani
de Zona
D. Virgi-
nis.**

CAPVT SECVNDVM.

**Indiani.
Presbyter
Ioannes.**

IVERNNT & aliæ pristinis temporibus nationes in hoc templo sancti sepulchri, quæ propter cœli solique inconsumptam raritatem ad suas terras redierunt, inter quas sunt **INDIANI**, quibus Presbyter Ioannes dominatur, cuius ditio & imperium omnem potestatem fortur excellere, ita vt septuaginta duos Reges habeat subiectos. Huic equitanti mirabili apparatu crux lignea præfertur, educenti exercitum duæ cruces præferuntur, vna aurea, alia ex gemmis preciosis, quibus intelligi datur, eum diuitijs & nobilitate omnes principes terræ excellere. Isti corpus Diui Thomæ Apostoli mirabili veneratione prosequuntur, quem dicunt Christi præcepto Euangelium per Indiam prædicasse. **MARONITÆ** à Marone hæretico dicuntur, vnâ tantum in Christo

Christo voluntatem credentes. Consciunt in azymo, Riturum in sacris tenent more Græcorum, in vulgaribus Arabico sermone vtuntur. Libyæ prouinciâ incolunt circa castrum Arachas contra fontem hortorum in radicibus Libani. Ducenta milia hominum pugnatorem educunt in prælium, vtentes arcibus & lanceis. Principem sibi præficiunt non viribus aut diuitijs, sed virtutibus excellentem. Hunc vocant Senem de montanis. Imperia Sultani & Turcæ parui faciunt, suis legibus viuentes. Horum Prælati in cæremonijs valdè similes sunt Latinis. In concilio Lateranensi sub Innocentio tertio eorum Patriarcha obedientiam præstitit Romanæ Ecclesiæ, sed in concilio Constantinopolitano schismatici declarantur. **MOZORABEI** dicti sunt, quod mores Christianos cum Arabicis miscent. In officijs sacris lingua Latina vtuntur, obediunt Romanæ Ecclesiæ, in azymo consciunt, in officijs diuinis valdè discrepant, dicentes plerâq; in fine, quæ nos in principio dicimus. Eucharistiæ sacramentum alij in septem, alij in decem, diuidunt partes. Hi videntur valdè deuoti, & solis suæ nationis gentibus matrimonio iunguntur. Coniunx mortuo marito vidua manet. **SARRACENI** hominum genus spurcissimum, adeò vt nomen falsum sibi vendicâint: nam cum sint orti ab Ismaele, filio ancillæ Agar, & spurio Abrahamæ, profecto non merentur Sarraceni vocari, sed Agareni: verè enim in eis videtur impleta prophetia de Ismaele. Totam ferè occupant terram, Mahumeth prædicant, & legem eius obseruant, Christum maximum Prophetam dicunt, & hominem natum de virgine pauperula, passum negant, ideoq; loca passionis Christi irrident. Asserunt autem Christum libito suæ voluntatis ascendisse in cœlum, Mahumethem suum ad Dei sinistram sedere, vt aduocatum, & Christum à dextris consentire. Hi porcorum instar libidinibus obuoluuntur, torquentes vxores, quot possunt nutrire. Spurcitia, quam Sodomiticam vocant, eis pro risu est, ita, vt lupanarium loco, ephēbias constituent. Hi tot sceleribus inuoluti, curiales tamen sunt, hospitalis, benefici in amicos, fideles in promissis. Primores gentis Turcæ vocantur, crebrò se lauant, vino abstinent; cum magno ciulatu precantur. Porro Mahumetani non illepidè elephantibus comparantur, quæ nilulunio in fluminibus se abluunt, &

*Nota hic
auctoritas
visor
nam Senex
da montanis
Assis
nis impera-
bat. Vide
Borchardum.*

Sarraceni.

Iudei.

mox integro mense ad solita loca reuertuntur. **I V D E I** quæque Hierosolymis degunt magno planè suo dedocere: nullis enim sacris, nullis legibus, nullo principe vtuntur. sed in solo natali ab omnibus vt canes vili penduntur. Christum negant, Messiam vanissime expectant, habent sepulturam in valle Siloë prope reliquias eorum Prophetæ proditoris. Funera lugentur à consanguineis nouem diebus, inter quos narrantur cum eiulatu mores defunctorum. Sabbathi diem à vespera in vesperam colunt, ita vt nec quid emant, nec nummos tangant. In vespera Veneris mensas parant pro sabbatho, ne quid agere cogantur aliud quam orare. Synagogam frequentant, in qua vetus Testamentum declaratur. Sabbatho vltra mille passuum non ambulant, carnibus occisis à Christianis non veltuntur, sues non comedunt, nec lepores, ieiuniorum diebus vtuntur pane & aqua ante Solis Ortum, & post occasum nil operantur. Sunt & aliarum nationum homines. **N V B I A N I** & **I A M E N I**, terram sanctam incolentes, non tamen Hierosolymis manent. Hi se Christianos fatentur, & recepisse fidem à Beato Mattheo apostolo. Baptizant in igne, characterem crucis fronti imprimentes. In caeremonijs deuotissimi creduntur inter omnes orientales, palam omnibus Deo confitentur, in plerisque viuunt more Turcarum, vino tamen vtentes. Romanum Pontificem non audiunt, sed inter se probatum virum eligunt, quem Presbyterum legis appellant. Habitant in regione maris rubri. Sunt & alij populi **M A E D I A N I A N I** vocati, aut **B E D V I N I**. Hi tantam operam alendo pecori dant, vt instar pastorum demorentur in tabernaculis, quæ pro pastura pinguiore circumferunt per prata & rura, montes & colles. Bellicosi sunt, vtentes arcibus, gladijs & lanceis, vestiuntur pellibus & pileo alto more Turcarum. Habitant circa flumen Iordanis à monte Libano vsq; ad desertum Pharan.

Beduini.

*Palestina
epitome
nominis
Christiani.*

Pura de ritu & moribus nationum, in terra sancta degentium, dicere poteram, nisi breuitati studerem, & euitarè fastidia. Certò enim credo, non esse nationem sub cælo, de qua in terra sancta non sit homo, adeò vt possit adhuc

TERTIVM CAPVT.

adhuc verificari hoc tempore moderno, quod legimus de Hierosolymis tempore primitiæ Ecclesiæ in Actis Apostolorum, vbi dicitur: Erant autem viri religiosi, de omni natione, quæ sub cælo est, Parthi, Medi, Elamitæ, Cretes Arabes, aduenæ Romani &c. Præterea multum falluntur, qui credunt Orientem & Asiam, à solis Turcis & infidelibus habitari, cum vbiq; reperiantur regiones, regna, prouinciæ, vrbes, agri, montes, deserta agminibus Christianorum repleti. Verum de his satis superq; dictum fuerit. Nunc reliqua sacri templi sancti sepulchri expediamus. Ergò ante portam templi huius est lata area, magnis strata lapidibus quadratis, in cuius circuitu multa visuntur sacella, sacris pignoribus dedicata, inter quæ vnum est sacellum Diuæ Mariæ *Maria Aegyptia.* Aegyptiæ destinatum, quæ cum visitandi huius templi amorem concepisset, monita fuit ab Angelo, ne meretrix indigna facram ædem ingrederetur. Quæ mox soluta in lachrymas, & in toto corde contrita pœnitentiam egit, & ante imaginem virginis gloriosæ genu flexo, Angelicæ vocis consolationem audiuit.

Secundum sacellum in honorem virginis gloriosæ & sancti Ioannis Euangelistæ est erectum: in quo olim ipsa virgo Caluariæ montem summa cordis amaritudine contemplabatur.

Tertium sacellum in honorem supernorum spirituum & sanctorum Angelorum est consecratum. Nec enim dubitandum quòd patiente Christo totus Caluariæ mons, & eius circumferentia legionibus Angelorum fuerit frequentatus.

Quartum sacellum Diuo Iohanni Baptistæ cedit, qui licet sacrosanctæ passioni Iesu cognati non interfuerit, quippe immatura morte præuentus per Herodem Tyrannum, virtutem tamen passionis sensit in limbo, & patribus declarauit.

Quintum sacellum Magdalenzæ, seruentissimæ Iesu Christi amariæ, est consecratum. Dicitur enim ratio, vt quæ viuenti Christo tam præclara officia exhibuit, patientem vsq; ad Caluariæ montem secuta est, sepultum quæsiuit cum aromatibus, & nunc in cælo beata partem habet in templo sui magistri. In huius aræ medio ante templum visitur locus non sine lachrymis, in quo Christus sancta crucis sarcina oneratus, Caluariæ montem lachrymosis oculis suspexit, & suo tenerrimo corpori duri strati cubile præparari audiuit.

QVARTVM CAPVT.



Die Iouis 25. mensis Iulij prædicti hora matudina, comitantibus Turcis, sancti sepulchri templum egressi, ordine, quo venimus, iuimus pransum, hora pomeridiana reliqua loca sancta visitaturi. Facto prandio, egressi à Xenodochio nostro inter conuentum

*Castrum
Pisanum.*

montis Sion & castrum Pisanum, templum sumus ingressi, quod in honorem Diui Iacobi maioris est constructum, in quo ad sinistram ingredientibus sacellum, visitur locus martyrii prædicti Apostoli. Hoc templum incolunt Armenij Christicolæ. Ibidem in strata publica vidimus domum sancti Bartholomæi Apostoli. Ibidem visitauimus domum Monachi, vnius ex septuaginta Christi discipulis in qua post mortem sancti Iacobi, Petroq; in carcerato, ceteri discipuli, orabant pro liberatione ipsius, in cuius domus loco constructa fuit prima Ecclesia Græcorum Christianorum, & est sedes Episcopalis, quam tenent Surienses. Horum Episcopum osculata manu salutantes, inuenimus operantem in serico, longe planè nostris Episcopis dissimilem, qui putant omnem sanctimoniam Episcopalem in phaleris, famulitio, annulis, mitris constitutam, haud scientes quod Paulus Apostolus etiam manuum labore victum quæritabat. Huius ac reliquorum Apostolorum exemplum & memoria visitur in Episcopis Orientis, qui omnes ferè certis diei horis manuum artificio insistant, reliquum tempus sacris officijs expendentes. Si quod eundum est, exemplo Christi asina aut subiugali vehuntur, vno famulo comitante, memores verborum Iesu dicentis: Non est seruus maior domino suo, nec Apostolus maior eo, qui misit illum. Si quod eundum est, lignea crux præfertur. Porro aurum, argentum, equi, vestes præciosæ, omnia hæc vel non habentur, vel in pauperum vsus distribuuntur. Rarò videas Episcopum quæmpiam extra fines suæ diecesis moram trahere. At hæc vt Episcoporum

*Prima Ecclesia
Græcorum.*

*Episcoporum
Orientalium
modestia.*

*Occidentium
libertas.*

Occidentis moribus respondeant, testis est orbis catholicus. Nam & ipsi, pro dolor scimus, omnium sacrorum vim apud nos in auro, argento gemmis & pompis constitutam, & aded hic pestifer morbus inualuit, vt si videas Episcopum in Occidente asino insidentem, & cruce lignea, nullo famulitio, nullis annulis aureis, nullis holosericis, nullis gemmis ornatu, sacra peragere. Ridiculum

lum credas omne, quod geritur. Sed verè qui habitat in coelis, iridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Vos autem Episcopi occidentis, vos interim dicite Pontifices, in frenò quid facit aurum. Hinc progressi sumus ad sanctæ vrbis portam ferream, quæ Petro vinculis soluto, patuit Angelico ductu. Carcer autem sancti Petri erat tunc temporis extra ciuitatem, domus autem prædicta, erat intra mœnia vrbis. Quare Petrus non est vrbe egressus, vt multi credunt, & prædicant, sed ipsam ingressus. Porta hæc nunc muris vrbis cingitur, cuius adhuc arcus semirupti extant. Promouentes hinc, accessimus ad portam auream contra Aulæstrum super torrente Cedron, quæ sita est ante atrium templi Salomonis, vt templi potius quàm vrbis porta, nuncupetur, & nunc muro vrbis inclusa est vndiq;. Per hanc itur ad vallem Iosophat & montem Oliuarum. Sed per eam ingressus in templum minimè pater Christianis, statuto capitali vetante, quo edicitur capitis reus, ipsum templum ingrediens, aut cogitur fidem Christi abnegare. Iuxta hanc portam à latere dextro est portula quædam, interpositione columinæ à porta magna discreta, per quam Christus in die Palmarum humili & solenni pompa ingressus est templum. Heraclius autem de Cosdroe cæso triumphans, & partem ligni crucis superbo equo vestigans dum Cæsareo apparatu hanc portam vult ingredi, magno miraculo parietes portæ coniunguntur, atq; clauduntur. Sed Angelus imminens mœnibus, clara voce dixit: Iesus, cœli & terræ rex, longe alia specie hanc portam dudum intrauit: tu ergò si portam hanc vis ingredi, seruus Domini exemplum imitare. Quo audito pius princeps equo descendit, coronam imperialem deposuit, auream chlamydem exiit & Sindone vestitus, nudis plantis & capite, lignum crucis sacrosanctum sustinens Cæsareo humero, pulchræ humilitatis typo templum ingressus est, patentibus valuis in pristina forma. Plena. ✠.

*Carcer Petri
triApostoli.*

Porta aurea.

*Legenda
Heraclij
Cæs.*

CAPVT QVINTVM.



Rogredientes venimus ad portam speciosam, per quam itur à Hierusalem in Bethaniam, in Hiericho & ad Iordanem. In hac porta Petrus ascendens in templum, rogatus eleemosynam ab Aenea paralitico, re-

H h 3

Secunda in Papam. spondit: Anea frater, aurum & argentum non habeo, quod autem habeo, tibi do: in nomini Domini IESU, surge, & ambula, memor verbi Iesu: gratis accepistis & gratis date. O tu Papa, qui es, quique futurus es, aut fac similiter, aut Euangelium nega. Porro per hanc portam minimè Christianis permittitur transitus: quia est ex portis palatii Salomonis. Insistentes itineri, & præ æris aestu valde fatigati, quinetiam multis affecti iniurijs, muniti patientia, peruenimus ad portam fontis Siloë, ab Austro super torrentem Cedron sitam in valle media inter montem Sion & montem templi, quæ dicitur porta aquarum. Ab hac porta itur primò ad fontem Siloë, secundò ad vallem Gehennon, tertio ad hortum regis, quartò ad agrum Akeldama. Porta hæc antiquitus dicebatur porta octaua: sacræ enim vrbs situs propter loca abrupta non admisit plures portas. Inde prosequentes iter in angulo vrbs super torrentem Cedron versus Orientem, peruenimus ad portam Benjamin, eò quod per hanc itur in Anathot in desertum, & ad vrbes tribus Benjamin: per hanc etiam portam inuehebantur ligna pinea vrbi de Carmelo, & etiam quarta porta dicebatur. Interuallo abhinc modico ventum est ad Sterquilinijs portam super torrentem Cedron, per quam omnes sordes sanctæ vrbs in torrentem Cedron decurrebant. Per hanc iter patet in desertum Benjamin, habet domunculas humiles, & habitatores pauperes in vicinia. Inde procedentes, peruenimus ad portam Dauid versus montem Sion, quæ antiquitus porta vrbs dicebatur. Ante hanc portam latè patent duæ voragines, vna ad Aquilonem, altera ad Orientem, & extra eam arbor funesta visitur, in qua informis lethi nodum nectens Iudas Ischari-oth suspensio perijt. Hæc porta olim piscium dicebatur, & per eam via patebat in Ioppe, Diospolin, & maritima, à quibus pisces vrbi afferrebantur. Et ingrediuntur urbem per hanc omnes peregrini Occidentales. Dicebatur & olim hæc porta negotiorum, eò quod per eam transitus erat in Bethlehem, Hebron, Gazam, Egyptum & Æthiopiam. Cæterum via hæc tendebat per agrum fullonis in montem Sion, vt à sinistris iter esset in Hebron, à dextris verò in Ioppen. Vnde paruo iteruallo capiebatur iter versus Gazam atq; Egyptum, ex quibus preciosæ merces inferebantur vrbi Solymorum. Est & alia porta gregis con-

tra Austrum super torrentem Cedron, inde dicta, quod animalia immolaticia per hanc in templum ducebantur, loca primum in piscina probatica, quæ & inde nomen sortitur. Vocatur etiam porta vallis, quia per hanc iter patet ad vallem Iosaphat iuxta sepulchrum virginis gloriosæ, quod distat ab ea iactu lapidis. Propè hanc portam visitur turris Phasel ab Herode rege constructa, ante quam fons scaturit Draconis. Sed riuli fontis per canales non fluunt in templum sepulchri virgini gloriosæ. Non longè hinc patet porta Ephraim, ducens ad montem Ephraim, olim dicta sancti Stephani, hic scilicet lapidati. Hac itur in Samariam & Galilæam, & propè eam lapis est, super quem Saulus spirans minaturum & cædis in discipulos Domini, lapidantium vestes seruabat. De porta iudiciaria inferius dicetur.

Ephraimica.

SEXTVM CAPVT.



Piscina probatica à lotionem gregum dicta, cuius supra meminimus, ampla est & longa, muro templi contigua. In hac mersum dicitur lignum sanctæ crucis, quod ponticuli loco erat euntibus per torrentem Cedron, donec regina Sæba hac transiens in Hierusalem per Spiritum cognouit crucis mysterium, & Salomoni reuelauit, qui trabem inde tollens, iussit mergi in piscinam, & inde piscine vis sanatiua dicitur prouenisse, donec passionis tempore hoc lignum supernatans pro arbore sanctæ crucis Iesu membris ornandum fuit extractum. Progressi autem mox venimus ad domum Simonis Pharisei, in qua miris officijs amoris peccatrix illa euangelica Iesum suum, in medio Phariseorum resistendem, lauit lachrymis, terxit capillis, osculata est labijs, & vnxit vnguento, omnium peccatorum largam remissionem summi Pontificis Iesu Nazareni ore promulgatam reportans. Hæc domus licet sit inhabitabilis & clausa, stat tamen erecta suis parietibus. Hinc non longè est domus diuitis epulonis, ante quam Lazarus ille Euangelicus fame & morbo elanguit, domus quidem olim alta muris, sed inops virtutum, quam ingredi minimò permisi sumus, obstantibus Turcis. Hinc constat Euangelium de diuide Epulone & Lazaro vlceroso historiam esse non parabolam. Paululum

Piscina probatica.

Simonis Pharisei domus.

Lazarus.

Dom^o pa-
ventum
Marie.

paululum progressi venimus ad locum, in quo virgo gloriosa videns filium innocentem oneratum cruce, & repletum opprobrijs, spiritu fertur defecisse, quo loco olim templum fuit Mariæ, de spasmo nuncupatum, nunc autem pro pudor factum est Turcis stabulum equorum. Venimus deinde ad illustrem domum Ioachim & Annæ, in qua Diua virgo concepta fuit, & educata annis teneræ ætatis suæ. Hæc domus, heu dolor, Turcis habetur pro Mesquita, & nos vidimus veteranum Mahumetistam cum sexaginta scortis illic moechantem: nec villo præcio, ut ingredimur, potuimus obtinere.

SEPTIMUM CAPVT.

Pilati &
Herodis.

Peregrinantes inde cum multa deuotione accessimus Pilati domum, quæ amplior est & pulchrior omnibus ædibus vrbs, propè quam adiacet domus Herodis. Has domos in præsentia habitat Turca, qui Hierosolymis dominatur, vbi visitur locus, in quo Pilatus volens dimittere Christum, tandem ut placeret turbæ, iussit eum flagellari, coronari, illudi. Hoc loco olim in venerationem tantarum poenarum templum fuit extructum valde decorum. Nunc autem est stabulum equorum. Porro à celsiori latere domus Pilati iuxta triuium visitur arcus lapideus, à tempore passionis Christi durans ad præsens, in quo duæ sunt fenestræ, quarum vnâ Pilatus tenuit, & ex altera Christum flagellatum, coronatum, illusum, principibus Iudæorum & populo ostendit, dicens: Ecce homo. Hic hic locus est æterna memoria dignus Prætorij præsidis, dictus Lithostrotos Græcè, Hebraicè Galbata, ad quem Christus crucis patibulo condemnandus, per gradus ascendit marmoreos, qui Romam translatis præforibus templi Lateranensis magna veniarum prærogatiua genibus scanduntur. Hos Christus ascendens, piè & humiliter pro nobis sententiam crucis acceptauit, & inde per portam iudiciariam vicinam, ad Caluarię montem, crucem proprijs humeris extulit. Proinde sciendum, quod reiecto errore Lactantij Firmiani, * dicentis, Pilatum non protulisse sententiam mortis in Christum, ut ex vetustis annalibus prolatum inuenimus, Pilatus duas in Christum sententias protulit,

Andr^og^o
78.

* Institut.
lib. 4. cap.
18.

protulit, minorem flagellationis, maiorem verò crucifixionis. Forma sententiæ minoris vera hæc est: Iesum Nazarenum, virum seditiosum, & Mosaicæ legis contemptorem, per Pontifices, & principes suæ gentis accusatum, expoliare, ligare, & virgis caedite. Ilictor expedi virgas. Sententiæ maioris forma est: Iesum Nazarenum subuersorem gentis, contemptorem Cæsaris, & falsum Messiam, ut maiorum suæ gentis testimonio probatum est, educite ad communis supplicij locum, & cum ludibrio regiæ maiestatis in medio duorum latronum cruci affigite. Ilictor, expedi cruces. Falsa est ergo omnino vulgaris illa & inepta sententia, quæ incipit: Nos Pontius Pilatus, &c. Non longè ab hoc loco ostenditur domus, dicta Schola virginis Mariæ, quod in ea per teneram ætatem literas virgo didicerit. Deinde transi-
entes ad triuium, venimus ad locum, in quo Christus, baiulans crucem, dicitur cecidisse. Quare milites hic angariauerunt Simonem Cyrenæum, ut portaret crucem post Iesum. Propè etiam est locus, in quo Christus piè se vertit ad mulieres lachrymantes, dicens: Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, &c. Hic quondam fuit extructa Ecclesia in honorem tantorum mysteriorum, cuius nunc nec vestigia quidem apparent. In hoc itinere est domus humilis sanctæ Veronicę, quæ explicito linteo perpetuæ memoriae effigiem sanctissimæ faciei Iesu Christi recipere meruit. Peplum hoc Romæ in Ecclesia sancti Petri grandi honore seruatur, quod videntes nullam deinceps oculorum caliginem pati dicuntur.

OCTAVVM CAPVT.



Visitatis per nos locis in vrbe, sacris locis dico Christi sacramentis, & nouæ legis mystetijs insignitis, & peregrinationis ordo, & nostra deuotio, ut templum Salomonis visitaremus, exposcere videbatur, sed obstitit ferale Sarracenismi decretum, ne ingrederemur, ut dictum est: Libet tamen de hoc templo hic nonnulla inferere, ne opus nostrum mutilum iudicetur, aut lector concepta spe fraudetur. Templum igitur hoc toto orbe olim famosum fuit, ut merito inter septem orbis spectacula numerari Salomonis,

merari posset ad quod omnes reges dona mittebant, adeo ut
prae sui gloria crebro destructum fuerit, & reparatum. Nam
Dauid expensas & materiam Salomon filio prae parauit, sed quia
vir sanguinum erat, indignus est habitus, qui hoc templum eri-
geret, donec Salomon Rex pacificus miro sumptu, operarijs pe-
ne innumeris, ipsum templum extrueret, cui simile non esset in
orbe terrarum. Verum hoc templum destructum fuit per reges
Medorum atq; Persarum, & per Zorobabel, Nehemiam, & Es-
dran restitutum. Fuit etiam per reges Graecorum, & Asiae, tur-
piter violatum & spoliatum, & per Macchabeos duces munda-
tum & consecratum. Deinde obsidentibus Hierosolymam Ro-
manis ducibus, Tito & Vespasiano, funditus euersum, ut verifica-
retur sermo magni Prophetæ Iesu Nazareni, longè antè dicentis
Solymæ & habitatoribus eius: Non relinquetur in te lapis super
lapidem, qui non destruat. Imperatores enim Romani non
solum templum diruerunt, sed etiam montem, cui templum in-
nixum erat, in planiciem redegerunt, eiecta terra in torrentem
Cedron, ne vrbs praesidio montis & templi consila, Romanis
amplius rebellis esset. Hoc templum, quod nunc visitur, prio-
ribus multum dissimile est, licet amplissimum sit & sumptuosissi-
mum. Huic templo praeciacer ara quadrata, habens in lon-
gum & latum iactum arcus, & ipsa templi structura intus & ex-
tra mirè spaciota & speciosa. Porro curiosus hoc templum de-
scribere non magni retulerit, tum quod nos Christiani interiora
eius videre prohibemur, tum quod spurcitia ritus Mahumetici
tantum sordet, ut omnis eius gloria offuscetur. In hoc autem
miror Dei iudicium, quod Iudæi adhuc suum Messiam expectan-
tes, errorem non videant, quod scilicet terra promissionis extor-
res, regno priuati, & quod maximum est deploratæ damnationis
argumentum, ab hoc templo, quod vnicè gloriari solent, velut ca-
nes excluduntur. Vnde hoc, nisi quia Christum, verum Messiam,
& summum sacerdotem, è templo excluderunt, & quasi templi
destructorem falsissimè accusarunt? Petierunt Barrabam latro-
nem, & ubiq; terrarum latronem suum inueniunt, imprecati sunt
capitibus suis ultionem sanguinis innocentis, & sequitur eos fœ-
dus sanguis non solum menstruus, ut mulieres, sed & hebdoma-
darius, ut prophanos & sacrilegos, quia etiam scisso per mortem
Christi

Obstinata
Iudeorum
impictas.

Christi velo templi, omnia sacra ab eis recesserunt. Suntq; toto
orbe profugi, prophani atq; proscripti: ut verus fiat sermo Chri-
sti dicentis: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, & non
me videbitis, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Do-
mini.

TOMVS NONVS

DE VALLE IOSA-
PHAT, DE TORREN-
TE CEDRON, DE SEPVL-
CHRO VIRGINIS GLORIOSÆ, DE
Gethsemani & Bethphage pagis, de probatica piscina, de monte
Oliueti, de Bethania illustri, de Hiericho, & rosetis, & monte
Quarentane, de Decapoli & Galilæa, de Iordane & mare mor-
tuo, de Nazareth inclita, & monte Thabor, de Pentapoli
& statua salis, de Cana, Tiberiade, Chorozaïm,
Bethsaida, Bethulia, Tyro & Sidone,
pulcherrimè docet, con-
tinetq; cap. 10.

CAPVT PRIMVM.



Eneris die eiusdem mensis Iulij 26. summo dilucu-
lo consurgentes, loca Iordanis & reliquæ illius re-
gionis insignia visitauimus. Principio descenden-
tes de monte Sion venimus ad locum obitu virgi-
nis gloriosæ insignem, in quo obstinati Iudæi cona-
ti sunt impedire virginei corpusculi sepulturam, quando furi-
bundi accurrentes ad feretrum, arefactis membris sunt absteriti, tura-
ac pœnitentes per Apostolos conuersi sunt, & sanati. In hoc loco Virginis,
facellum erat nunc disruptum. Propè adest locus, in quo Petrus
Apostolus trinæ negationis peccatum amara pœnitentia expia-
uit. Hic etiam quondam fuit facellum extructum, nunc funditus
euersum. Hinc properantes ad famosum torrentem Cedron
peruenimus

*Mausolea
regum Iud.*

*Vallis Io-
saphat.*

*Sepulchrum
D. Virgi-
niæ.*

peruenimus, qui fluit per mediam vallem Iosaphat vsque in val-
lem Siloë, ita vt inter geminas valles sub ponticulo lapideo, vno
arcu erecto, torrens decurrat, per quem Christus transijt oraturus
in Oliueto. Ibi propè sepulchra regum Iuda visuntur, licet cor-
pora alibi requiescant, testante sacra scriptura. Notatu dignum,
lector, quod sepulchrum Ioseph, sponfi virginis gloriosæ, hic mon-
stratur, sed corpus nuspiam inuenitur, vnde conijcere licet, hunc
sanctum Patriarcham cum reliquis patribus, moriente Christo,
resurrexisse, & ascendisse in cœlum, tamen si de eius obitu nil re-
ferat scriptura. Vallis autem Iosaphat ambit ciuitatem sanctam
ab Oriente, quæ licet per Romanos principes fuerit terra reple-
ta (vt tradit Iosephus) est tamen hoc tempore satis profunda.
Hinc ambulantis per quinquaginta passus ad Meridiem patet
locus, in quo sanctus Iacobus minor, Iesu capto, se abscondit,
dicens, se inde non exiturum, nec comesturum panem, donec
Christus resurgeret. Est & ibidem sepulchrum Zachariæ, filij
Barachiz, qui occisus fuit inter templum & altare. Paulum in-
de vinea est, in cuius loco Angelus olim elatam palmam de-
cerpsit, quam perferens virgini gloriosæ, obitum die tertia affu-
turum cum summo gaudio nunciauit. Hinc ordine præceden-
tes in ipsa valle vidimus templum inferius, ita vt in illud descen-
datur gradibus quadraginta nouem, in cuius medio sepulchrum
est virginis gloriosæ, instar sepulchri Christi per omnia factum,
nisi quod crypta ipsius sepulchri duabus ianuis patet vtrinque.
Hoc ingredientes templum (Deum immortalem) quantam mox
sensimus odoris fragrantiam? ego autem in stuporem versus, id
Canticorum partim mente, partim voce occinui: Quæ est ista,
quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, sicut aurora con-
surgens in cubilibus, & in hortis aromatum? Et sicut dies verni
circumdabant eam flores rosarum, & lilia conuallium. Illa au-
tem vt est plena gratiarum, pulchræ dilectionis, & sanctæ spei, vi-
sa est mihi virginea voce respondere: quasi Cedrus exaltata sum
in Cades, & quasi Cypressus in monte Sion, & quasi plantatio ro-
sæ in Hiericho, & quasi Libanus non incisus vaporum habitatio-
nem meam, odor meus quasi Ierebinthi, & omnes rami mei ho-
noris & gratiæ, & ego sicut Cinamomum & Balsamum aroma-
tizans dedi suauitatem odoris. Est enim tantæ virginis sepul-
chrum

chrum marmoreum, nedum nobis peregrinis, sed & Angelis,
Turcis perfidis & Sarracenis summè venerabile, in quo nullas,
Christiane frater, quære sanctissimi corporis reliquias, quando
fides habet, & Ecclesia cantat, eam cum Christo beata immorta-
litate potiri, & in corpore & anima super omnes Angelorum
choros eleuatam. In hoc templo ad sinistram est sepulchrum
sanctæ Annæ, cuius corpusculum apud Lugdunum in insula, *Item Anna
& Iochi-
mi.*
quam Barbaram vocant, constanter dicitur asseruari. A dextris
sepulchrum est Diui Iochim. Hic fons Draconis scaturit, vt vo-
cat Nehemias. Non longè ab hoc loco illustris ille locus est,
vbi beatissima anima illa virginis gloriosæ, resumpto immacu-
lato corpusculo, cœlos coronanda ascendit, comitante filio, &
omni cœlesti militia famulante vocanteque; ab altissimis patre cœ-
lesti: Veni de Libano filia mea dilecta, veni coronaberis. Illa au-
tem, ibo (inquit) ad montem myrrhæ, & ad collos thuris, loquar
dilecto meo: & ascendens zonam, pij amoris pignus, reliquit
Diuo Thomæ Apostolo. Hanc zonam certi homines Christia-
ni mirè colunt, & quod creditur, non citra superstitionem: vnde
Christiani
de Zona.
gauntur. Olim hic templum erat erectum, sed nunc diruptum.

CAPVT SECVNDVM.



AB hoc subterraneo Diuæ virginis templo per quin-
quaginta passus Gethsemani villa est, in qua est hor-
tus, in quem Christus transmissio torrente Cedron, *Gethsemani.*
patrem oratutus, intrauit. Locus hic est in latere
montis Oliueti, adhærens cuidam rupi concauæ
de monte pendenti, in qua sederunt discipuli, cum dixit eis
Dominus: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem. Et adhuc pa-
tet locus sessionis eorum, patet & ibidem locus, in quo Iesus
Iuda osculo traditus fuit, tentus à turbis. Videntur lineamenta
verticis & capillorum eius in rupe pendente, & digitorum im-
pressio apparet, cum hæc sacris manibus Christi crux traheretur
à turbis. Mirum dictu, quod ab hoc lapide nil radi potest, vel
sculpi ferreis instrumentis, cum facile cesserit Christi manibus
instar ceræ, vt probant vestigia. A Gethsemani versus Austrum
quantum

quantum iactus est lapidis, locus est sacratissimus, in quo pientissimus Iesus, auullus à fratribus, orauit patrem primò, secundò, & tertio, tristis, pauens, tædio affectus, mœstus, agonizans, & preciosum sanguinem sudans, decurrentem in terram, & hic lapis retinet impressas figuras manuum Christi & genuum. Credas, lector Catholice, hanc cryptam non arte, neq; natura sed gratiæ coelestis artificio esse formatam, ita vt dignum sit credere, sanctum sanctorum merito posse vocari vt riuulos preciosissimi sanguinis de toto corpore Iesu benedicti instar torrentium de montibus decurrentes. Propè hunc locum sepulchrum

Mausoleum Iosaphati.

Mons Oliueti.

est Iosaphat, regis Iuda, pulchra Pyramide insignitum, è regione Salomonis templi, & inde vallis sortita est nomen illud famosum; vt dicatur in scripturis & historijs vallis Iosaphat, in qua generale iudicium creditur futurum, dicente Propheta in persona Dei: Congregabo omnes gentes in vallem Iosaphat, & ibi disceptabo cum eis. Ab hac valle illustri apricante Sole ascendimus montem Oliueti excelsum magnis planè laboribus & sudoribus, in cuius cacumine, primùm vidimus domunculam, in qua gloriosa virgo, solita in montana transcendere cum festinatione, multis annis post Christi ascensionem dicitur vitam contemplatiuam, & optimam partem, quæ non auferretur ab ea, duxisse. Extat ibidem porticus quædam his diebus in perpetuam rei memoriam. Paulo interuallo locus insignis visitur, in quo discipuli rogantes Iesum, dixere: Domine, doce nos orare. At pius magister primum quidem orationem Dominicam, quam vocamus, protulit, dicens, sic orabitis: Pater noster, &c. Deinde hanc ipsam sacratissimam orationem in petra exaratam reliquit, cuius rei testes sunt omnes peregrini. Inde mouentibus locus ille subijcitur oculis, in quo post ascensionem Christi misso Spiritu sancto, Apostoli congregati catholice fidei symbolum articulatum ediderunt, inchoante Petro. Credo in Deum Patrem omnipotentem, &c. In hoc loco olim sacellum pulchrum in honorem Diui Marci fuit erectum: cuius hodie vestigia cernuntur.

Symbolum Apostol.

CAPVT TERTIVM.

Pedeten-



Edetentim ingredienti venimus modico intervallo ad locum, in quo accedentes ad Christum discipuli, dixerunt: Magister, aspice quales lapides, & quales structuræ. Et respondente Christo de urbis & templi excidio, illi quærebant signa futuri iudicii, quo in loco est iter magnum, & cisterna profunda, iuxta quam olim fuit pulchrum templum, nunc diruptum. Insuper in dicti *S. Pelagia*, montis cacumine visitur antrum, in quo famosa peccatrix, & formosa meretrix, Pelagia, exegit poenitentiam salutarem, ibidem sepulta. Porro locum hunc nullus peccato mortali grauatius potest penetrare. Nos autem Dei misericordia freti, visitauimus locum humiliter & deuotè. Hinc hinc sequenter in altioribus montis sacri est locus (heu nos miseros mortales) non citra lachrymas referendus, locus in quo pientissimus, ille generis humani Saluator, Messias, Emanuel, Iesus Nazarenus, post patratam mundi salutem spacio annorum triginta trium, post declaratum resurrectionis altum mysterium quadraginta diebus, præsentem scholam militantis Ecclesiæ, firmatis Euangelij legibus, videntibus amicis in altum eleuatus est, & suscipiente nube, extenta ad benedictionem manu, valedicens amicis, pius victor alta cœlorum penetrauit, misit duobus viris, qui in veste alba desolatam scholam consolarentur dicentes: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? hic Iesus, qui assumptus est in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. In tanti mysterij æternam memoriam visuntur gloriosorum Iesu pedum vestigia petrae impressa, extititq; olim templum tanta memoria dignum, nunc pro pudor diruptum & euersum. Rem dicam, fidelis lector, omnibus perfidis admirandam, nullis fidelibus dubiam, à loco vestigiorum benedicti Iesu suspicientibus in cœlum, linea velut perpendiculari apertura quædam æthereæ regionis luminosa apparet, patente hinc inde cœlo velut conscissis marginibus. Quamobrem putas Christiane frater? nisi vt pateat Christi famulis via, qua gloriosus Dominus Iesus, olim ingressus est. Quod si ad latum (vt dicitur) vnguem locum mutaueris, via tibi clauditur cœlestis visionis. Inter reliqua montis Oliueti insignia loca, singularis est pagus Bethphage *Bethphage.* ad pe-

Ascensio Christi in cœlum.

ad pedem inclyti montis Oliueti. Hic enim locus est, vnde Christus mittens Petrum & Philippum iussit adduci asinam & pulum subiugalis, quibus adductis, & Apostolorum substatibus vestibus, Iesus Nazarenus, mansuetus rex, iuxta vaticinium Zachariae, Hierosolymam properauit, exceptus clamore turbæ, honoratus hymno puerili, Olianna: cæsis & stratis frondibus, dispersis vestibus, sacrosanctam urbem humilistriumphator ingressus est. In memoriam tanti mysterij his diebus visuntur summo miraculo tredecim oleæ ordine plantatæ, duodecim Apostolorum & Christi illustres typos referentes, quas refert antiquitas ab illis durasse diebus virore perpetuo, & ex his ramos cæsos, quibus magni regis, via sternebatur. Iuxta locus est, vnde Iesus dilectam urbem contemplans, solutus in lachrymas fleuit super illam dicens: Hierusalem, Hierusalem, &c.

CAPVT QVARTVM.

Bethania. **B**ethphage vnus leuæ spacio progressi, venimus in nobilem illam Bethaniam, multis mysterijs memorabilem. Bethania ergo à Solyimis distat tribus milliariis interiacente scilicet monte Oliueti. Olim fuit castellum, nobilibus habitatum, & ædibus frequens, nunc penè desertum. Ante introitum iuxta cisternam iactu ferè lapidis, locus est, vbi Domino Bethaniam venienti Martha occurrit, & disputante cum ea benigno Iesu de resurrectione futura, & fratris Lazari resurrectione, Magdalena vocata aduenit. Vistur hic insigni deuotione domus dominæ Marthæ hospitalis, in qua toties pius Iesus hospitio est receptus, & humaniter habitus. Sed hæc domus, utpote digna, in templum versa est, Marthæ & Mariæ dedicatum. Adest propè locus sepulchri, vnde Lazarus quadriuanus diuinæ vocis imperio fuit suscitatus. Sepulchrum quidem marmoreis lapidibus est coopertum, persimile sepulchro sancto virginis gloriosæ. Et hic erectum est sacellum marmoreum in tam celebris miraculi memoriam, qui non solum Christiani, sed etiam Turcæ & Sarraceni magna deuotione venerantur. Extat etiam in hoc pago domus ille Simonis leprosi, in qua recumbente Iesu Magdalena amatrix super caput eius effudit alabastrum

Monumentum Lazari.

Simonis leprosi domus.

bastrum vnguenti preciosi, dicentibus Apostolis: Vt quid perditio hæc? poterat enim vnguementum hoc venundari trecentis denarijs. Et Iudas ut trecentum denariorum furtum compensaret magistrum vendidit triginta argenteis. Ostenditur etiam Bethania spelunca quædam, siue crypta, in qua sancta Maria Magdalena non dicam poenitentiam egit, sed contemplationi vacauit, antequam transito mari ad Malsiliam perueniret. Quam enim poenitentiam ageret, cui Dominus ipse cæli & terræ, peccata dimisit, nulla poenitentiae opera iniungens. Hinc ventum est nobis ad domum Diuæ Magdalenes, in qua dictum est ei à Martha sorore, Magister adest & vocat te. Olim hic sacellum fuit, nunc diruptum. Non longè abest locus, in quo versus occidentem lapis est, super quem Christus, veniens ad Lazari sepulchrum, requieuit, atq; resedit. Mirum dictu de hoc lapide, quod cæsus, sculptus, ralus non minuitur. A Bethania aggressi sumus peregrinationem Iordanis, asinis vestiti. Progressi ergo, in medio itineris, visus est nobis locus cœnobij dirupti in memoriam sancti Ioachim Patriarchæ, qui opprobrio sterilitatis deiectus de templo, hic mansit cum suis pastoribus, donec Angelicæ vocis solarium de habenda prole habere mereretur. Quo habito, Annæ uxori in porta aurea lætus occurrit. Inde progressis nobis visus est locus, de quo Euangelium memorat: Homo quidam descendens de Hierusalem in Hiericho, incidit in latrones, &c. Hic videtur quædam cauerna profunda, super quam olim erectum fuit ædificium.

¶ Vide Proteuangelium Iacobi minoris, editum à Michæle Neandro.

CAPVT QVINTVM.

Progreddentes, & nocturnis horis eripientes dulcia quietis solatia, urbem Hiericho attigimus, quæ vrbs distat à Hierusalem triginta milliariis, sita in planis. Vrbs olim famosa atq; fertilissima fuit, nunc ruinosa, ut vix decem domus habitatas, urgente diuina sententia, ne quis scilicet imprecationem illustrissimi Iosue non satis veritus in primogenito suo, reparasset eam, quam constat nunc tantum esse abiectam, quantum olim inclyta fuit. Hic cæci illuminati, hic

Hiericho.

Zacheus

K k

Galgala

Zachæus ab arbore sycomorum descendens, pius Christi hospes est iustificatus: nunc autem vnica turris semirupta hic visitur, reliqua omnia miraculorum insignia vel tempore legis, vel tempore Euangelij facta, deleta sunt. Abest duobus miliaribus Galgala, olim vrbs incluta, nunc ne pagus quidem, à qua spatio quinque miliarium est sacellum, Diuo Iohanni Baptiste sacrum: & fama est, hinc non longè Iesum à Iohanne baptizatum, cui scriptura sacra consentit. Reliqua vrbs Hiericho ex libro Iosue & Euangelij discere lector: ego nihil hic dicam præter id vnum, quod iter ab Hierusalem difficilimum est, lapidosum ac asperissimum, cui simile me vidisse non memini. Hiericho distat à Iordane decem ferè miliaribus. Vnde colligitur fluuius Iordanis abesse à Solymis quadraginta miliaribus, itinere difficillimo (vt diximus) arido & penurioso: in quo emptile nil inuenias, nec prece nec precio, nisi Iesum quempiam tecum ducas, qui aquam vertat in vinum, & lapidibus istis dicat, vt panes fiant, & sic nuptias præsentem Iesu facies in Cana Hiericho. Est planè notatu digna planicies inter Hiericho & Iordanem decem millibus lata, longa viginti, per quam euntibus nobis plus minus centum ex fratribus languerunt ob nimios solis calores, & labores itineris. Hic orientem versus Behthagla videtur, vetustæ memoriæ locus, dictus hebraice Bethagla, id est, domus planctus, vel moeroris, eò quod ibidem Ioseph, & reliqui filij Iacob deduentes corpus patris, planxerunt septem diebus. In hoc loco nunc habitant Monachi Græci de canone Sancti Basilij, quorum cœnobium distat à Iordane duobus millibus. Hi cœnobitæ non vtuntur forcipibus, nouacula aut cultris, sed pilos crescere permittunt instar Nazæreorum.

Bethagla

*Monachi
Græci.*

CAPVT. SEXTVM

Ad Hiericho, agente spiritu Christi, læti properauimus ad fluentia Iordanis. Quare Iordanem, per vtriusque testamenti scripturas tam celebrem, describere paucis visum fuit. Oritur autem in radicibus Libani præ porta vrbs Velenæ, quæ aliàs nominatur Cæsarea Philippi, confluentibus Ior & Dan quæ Iordanis nomen efficiunt. Iosephus autem refert, mille

stadia

stadijs altius versus orientem hoc flumen oriri ex fonte largissimo, dicto Phiala, qui subterraneo meatu, decurrit vsq; ad fontes Ior & Dan. Hic fluuius post longos circuitus, quibus separat Trachonidem ab Ithura, tandem inter Capharnaum & Chorozaïm mare Galileæ ingreditur spatio quatuor leucarum ab vrbe Cedar. Medio autem Velenæ & maris Galileæ est vallis, quam Iordanis niuib; inundans replet quandoq; iuxta quam syluula est regiæ venationis. Inter reliqua Iordanis insignia est, quod tempore legis Mosaicæ Iordanis cucurrit medius per terram promissionis, & nunc nobis significans Baptisma, diuidit Ecclesiam à Synagoga. Hic propè locus est pœnitentiæ sanctæ Mariæ Aegyptiacæ. Porro Iordanis, quo loco Christus baptizatus fuit, ruinoso ædificio est insignis, dignus planè longè clariore titulo, vbi pater cœlestis adfuit in voce, spiritus sanctus in specie columbæ, & filius in carne humana, baptismum, humanæ salutis remedium, & ianuam sacramentorum, erat consecraturus. Hic ergo flumen sanctum omnes peregrini ingressi, & corpora lauimus & animas, illa à sordibus, has à peccatis, res summi gaudij atq; salutis, nisi tristis casus gaudia nostra turbasset: Nam medicus quidam Gallus nostræ societatis vir probus et cum flumen paulò longius ingrederetur, captus Crocodilo (Dracōnem dicas aut bestiam, incertum) absorptus fuit, non sine communium fratrum nostrorum tristitia. Iordanis piscosus est, cum tamen in mare mortuum se recipit, pisces retrò cedunt. Nil enim, quod animam agit vegetalem, viuere potest in mari mortuo, ad eò quod arbores circumcirca crescentes, pestifero maris afflatu infectæ, nil esui aptum producere possint. Videas enim poma visu decora, intus plena cinere ac fauilla. Vnde merito mare mortuum dici potest, stans immobile, sua viscositate & viru concretum. Iordanis veluti conscius huius putrefactionis minimè miscetur aquis maris mortui, sed perpetuo raptu transcurrit (vt aliqui dicunt) subter mare ipsum, vt alij, supra instar olei, supra aquas fluitantis. Habet in longitudine ab Aquilone in Austrum centum & viginti miliaria, in latitudine ab oriente in occidentem septuaginta, semper & vbiq; foetidum & tenebrosum, velut sulphureum, vt Cocytum infernalem aut atram Stygem dixeris. Apud auctores Cosmographos lacus Asphaltites,

*Crocodi-
lus Iordanis.*

Lacus Asphaltites.

Gluten lu- vel bituminosus nuncupatur. Hoc loco Bitumen nascitur va-
daicum. rij vsus, quod Aromatarij gluten Iudaicum appellant. Res esset
plena miraculis maris mortui, nisi sacris Genesis historia (autho-
re Mose) causam describeret. Ait enim, olim hanc regionem
solita irrigari fluentis Iordanis, sicut Paradisum Dei, stantibus
vrbibus olim famosis in hac planitie his nominibus, Sodoma,
Gomorrah, Adama, Seboim, & Bala, quæ olim Pentapolis regio
dicebatur, omnium rerum opulentissima, donec inualefcenti-
bus sceleribus, aures Domini Dei Zebaoth, dirus clamor percel-
leret, vt diceret illustri Abraham: Clamor Sodomorum & Go-
morrah venit ad me, descendam, & videbo, si clamorem opere
compleuerint. Abraham ad preces conuersus dixit: Absit à te
Domine, vt perdas iustum cum impijs, pactusq; est cum Deo, vt
si decem homines iusti inuenti fuissent, parceret Deus Pentapo-
li. Quos cum Abraham minimè inuenisset, exijt cum fratre suo
Loth, vxore, atq; familia, pacto ne quis post tergum respiceret,
moxq; Deus fortissimus vltor, & iustus iudex, pluit ignem &
sulphur supra Pentapolin, merfis hinc vrbibus in profundum,
vbi nunc mare mortuum est. Porro Abraham consurgens ste-

Vxor Lo- tit, & euersas vrbes à longè conspexit: at vxor Loth fæminea
thi in sta- mollicie ducta retrospexit, moxq; in statuam salis versa est, du-
tuam. rante (mirum dictu) atq; in æternum duratura hac statua, vt vi-
dimus. Nos autem timentes pestiferam regionem, diuertimus

Fons Heli- sinistram versus Hiericho, vbi amœnus fons est Helisæi Prophe-
sæi. tæ, olim amarus, sed merito Prophetæ per immisionem salis
dulcoratus, vt refert historia Regum quarto libro. Hic fons ab
Austro decurrens iuxta Galgalam tanto impetu fertur, vt moles
circumagat, deinde in riuulos diuisus irrigat Canamellas, & hor-
tos fecundat, deinde in Iordanem se recipit. Propè hunc fon-
tem arbores crescunt instar prunorum, spinosæ tamen, in qui-

Rose Hic- bus flores nascuntur, quos rosas Hierichuntinas vulgus appellat,
richuntina. mirandi effectus. Nocte enim natalicij nostri Saluatoris pau-
latim hiant, atq; se recludunt, licet siccæ sint & aridæ, in testimo-
nium virginæi partus atq; conceptus, vt credere licet. Di-
cuntur etiam parturientibus mulieribus esse remedio. Post quie-
tem quinq; horarum, qua refecti fuimus ad fontem Helisæi, qui-

Quaran- dam ex nostris montem Quarantanae ascenderunt, quibus, ego
tana mons. comes

comes itineris fui. Mons hic est, in quo Saluator noster tenta-
tus fuit, & quadraginta diebus ieiunauit, præaltus à fonte Heli-
sæi dimidio milliarij distans. In huius montis cacumine facel-
lum est ruinosum, ieiunio & oratione Christi venerabile. Sunt
& aliæ sex cryptæ in memoriam hebdomadarum, quas Christus
suo ieiunio & oratione consecrauit.

CAPVT SEPTIMUM.



Nos autem partim labore fracti, partim fame & siti
consumpti, partim metu Arabum perculsi, omnia
huius montis loca perlustrare non potuimus. Vi-
dimus ab hoc monte alium montem duobus milli-
bus distantem, in quo Saluatorem nostrum Sathan
euexit, & ostensis omnibus regnis mundi, se adorare monuit.
Prima enim tentatio fuit in monte Quarantana, secunda in
monte iam dicto, tertia in pinnaculo templi. Videtur etiam à
monte Quarantana castrum Monichal, quod olim Petra deserti
vocabatur, extructum à Balduino, rege Hierusalem: nunc autem
Turca in hanc arcem conuehit vestigia Egypti ac Arabiæ. Re-
gredientibus nobis, quidam peregrinus, de Flandria oriundus,
ob nimios labores atq; calores, dum asino veheretur, repentina
morte obdormiuit in Domino, cuius corpusculum in itinere de-
dimus sepulturæ, & animam commendauimus Deo. Nos au-
tem omnes semimortui, nimis laboribus fatigati, ad fontem re-
parauimus vires. Refocillato spiritu, à sacro fonte regressi su-
mus ad sanctam ciuitatem, vt reparatis viribus, Galilææ loca sa-
cra visitaremus. Docente enim Euangelio, & tota noui testamen-
ti historia, hæc prouincia multis mysterijs & locis sacris abundat.
Galilæa enim illustris est Christi conceptu, sermonibus, miracu-
lis resurrectionis, ita vt Christus magis Nazaretius quàm Beth-
lehemita vocaretur. Dignum est ergo, Galilææ miracula dili-
genter perscrutari, & referre fideliter. Galilæa prouincia me-
dia est inter Iudæam & Samariam, vt ex sacris historijs colligi-
mus, & ipsis oculis nostris vidimus. Galilæa duplex est, altera
superior, altera inferior. Galilæa superior ipsa est regio nunc
terra Moab, nunc Galilæa gentium, nunc Ithuræa, nunc plani-

*Petra des-
serti.*

*Galilæa
superior.*

eies Libani, nunc Trachonitidis regio, nunc Decapolis nuncupata in sacris scripturis. Huius prouinciæ longitudo tenet triginta miliaria, iter scilicet unius diætæ et dimidiæ, latitudo paulo minor est. Vrbes Decapolis sunt, Tiberias, Sephet, Cedes, Nephtalim, Azor, Cæsarea Philippi, Capharnaum, Bethsaida, Chorozaïm, Bethsan, alias Scythopolis dicta, quæ est metropolis superioris Galilææ. *Inferior.* Galitæa inferior ipsa regio est, quæ aliàs planicies Galilææ, aliàs Campus magnus Esdrelon, aliàs Mageddo, vel Magedan nominatur, regio omnium pulcherrima, atq; uberrima, habens in longitudine uiginti miliaria in latitudine quatuordecim. Cingitur ab oriente mari Galilææ, atq; Iordane, ab Austro monte Ephraim et Samaria, ab occidente partim monte Ephraim, partim Carmelo, ab Aquilone Phœnice & Libano. Et hæc est pars fertilior. Nos ergo, ut instituto nostro satisfaciamus, & maiorem voluptatem afferamus lectoribus, loca insigniora (ut ipsi uidimus) breuiter describamus, tenentes magis ordinem dignitatis, quàm situs. Prima ergo omnium sit Nazareth, illa olim quidem ignota, nunc autem per totum orbem gloriosa. Hæc distat à monte Thabor duabus leucis, ab Austro habens montem Hermon, in cuius latere aquilonari est Naim, ubi Iesus filium uiduæ unicum ante portas suscitauit. Nazareth ergo ciuitas Galilææ, ut Lucas refert in 1. capitulo sui Euangelij, ex qua flos de radice Iesæ, in qua nunciante Angelo, superueniente sancto paracleto, obumbrante uirtute altissimi, gaudente tota curia cœlesti, oprante toto orbe terrarum, consentiente uirgine, in totius mundi salutem, miro modo uerbum Dei factum est caro intra conclaue uirginei corpusculi, intra paruæ Nazareth mœnia, ut omninò iam interrogare non liceat, Num ex Nazareth possit aliquid boni esse? Constat nimirum, quod à Nazareth omnis salutis factum est exordium, ut refert Lucas Euangelista in pulcherrimo Euangelio: Missus est Angelus Gabriel. Hic ergo Christus conceptus est, atq; nutritus, locusq; conceptionis Virgineæ & salutationis Angelicæ hodie permanet. Est enim templum ibidem erectum, in quo tria sunt altaria, excisa de rupe: nam & Nazareth domus pro maiori parte sunt excisæ de rupib; & uidetur hodie synagoga illa, in quam Iesus de deserto regressus intrauit, quando datus est ei liber, quo aperto legit Spiritus Domini super me &c.

me, &c. et dixit, Prophetiam impletam. Est etiam in fine oppidi sacellum in nomine sancti Gabrielis Archangeli dedicatum, in quo fons est ab incolis valde æstimatus, ex quo puer Iesus crebro dicitur aquam hausisse iussu Mariæ & Ioseph. Domuncula illa omnium beatissima domorum, in quam incarnationis mysterium, & salutatio Angelica sunt consummata, creditur haberi in prouincia Ancona, loco, qui dicitur Lauretum. Extra Nazareth ad Austrum milliari dimidio locus est dictus saltus Dauid, ubi cæci homines nisi sunt Iesum benedictum præcipitare de monte, ut legitur Lucæ quarto: atq; hodie in larere montis oppositi uidentur uestigia corporis Christi lapidi, ut ceræ impressa, Christo fugiente.

Domuncula salutationis Angelicæ. Saltus Dauid.

OCTAVVM CAPVT.



Nazareth leucis duabus ad orientem mons est Thabor, nunquam satis laudatus, in quo Christus præsentente patre in uoce, filio in carne, Spiritu sancto in specie columbæ, præsentibus etiam Mose & Helia, cum Apostolis, Petro, Iacobo & Iohanne transfiguratus est, & præsciis mysterij miro gaudio Petrus optauit fieri tria tabernacula, quorum ruinae adhuc hodie extant. Sunt etiam in hoc monte aliorum ædificiorum, turrium atq; ædium regaliū, ruinae insignes, in quibus nunc latitant feræ sylvarum. Mons Thabor, ascensu difficilis est, in cuius radice via, qua itur de Syria in Ægyptum, locus ostenditur illustris planè in quo Melchisedech, sacerdos Dei altissimi, occurrit Patriarchæ Abraham, reuertenti à cæde quatuor Regum, ut legimus Gen: 14. cap. Prope locus est insignitus, in quo Iesus monuit Apostolos, ne uisionē transfigurationis reuelarent, donec à mortuis resurrexisset. Aliqui etiam credunt, in hoc monte Christum apparuisse discipulis post resurrectionem. Cæterum est alius mons in Galilæa, ad quem hoc mysterium uerius est referendum: est enim castrum dictum Sephet, munitissimum olim præsidium Christianorum & totius Galilææ, nunc autem nidus Turcæ, unde totam Galilæam, quæ continet sortes tribuum Zebulon, Neptalim, Aser, Issaschar, Manasse, Ptolemaida, Tyrum, & Sidonem, tyrannicè occupat. Prope hoc castrum iuxta mare Galilææ

Thabor mons.

Melchisedech.

Sephet.

Galilæe orientem versus mons est, in quem solitus erat Christus ascendere, ut prædicaret, vel oraret. In hoc monte Christus prædicauit sermonem illum longum atq; moralem, qui scribitur Matthæi 5. Hic pernoctauit in oratione, hic satiauit quinque milia hominum ex quinque panibus & duobus piscibus: in huius montis radice sanauit puerum Centurionis Paralyticum, & multitudinem languentium. Habet hic mons duos iactus arcus in longum, iactus lapidis in latum, planicie herbida, florida, decora, amœna, ac contemplationi aptissima. Extat adhuc lapis, super quem sedit Iesus prædicans populo, & Apostolorum sedilia: et hunc locum appellant Christiani Mensam Christi & Apostolorum. In radice huius montis iuxta Mare Galilæe spatium triginta passuum fons uiuus oritur, muro circumdatus, quem incolæ credunt venam Nili, eo quod Piscis, Coruus dictus, hic inuenitur, quem solus fert Nilus. Ab hoc fonte spatium uiginti passuum super mare Galilæe locus est, ubi Saluator surgens stetit in littore, dicens discipulis piscantibus: Pueri numquid pulmentarium habetis? Iohann. 21. cap. Hoc in loco gloriosi Iesu extant impressa vestigia lapidi, sed Sarraceni lapidem sustulerunt. Inde adhuc decem passibus locus est, ubi Apostoli piscantes viderunt prunas in littore & piscem superpositum ac panem. Hinc spatium unius leucae est Capharnaum, vrbs olim gloriosa multis miraculis Christi, insignis adeo, ut Iesu ciuitas vocaretur, nunc autem adeo desolata, ut vix octo tuguria habeat. Sed hoc diuinæ vocis & verborum Iesu virtute scimus contigisse. Legimus enim Matthæi, 11. cap. Iesum dicentem: Et tu Capharnaum numquid usque in cælum exaltaberis, usque in infernum descendes.

Mensa
Christi &
Apostolorum.

Capharna-
um

CAPVT NONVM.

Choroza-
im.



Capharnaum duabus leucis, Iordanis, mare Galilæe ingreditur, in cuius vltiore ripa vrbs Chorozaïm est sola ruina testante. Nam & huic diuina veritas per os Iesu comminata est, dicens Matth. 11. Vae tibi Chorozaïm. Et eadem fors (ut vidimus) contigit vrbi Bethsaida, sorori iniquitatum Chorozaïm, ut ibidem in Euangelio legitur. Hæc sita est in angulo maris Galilæe in Austrum, vrbs

vrbs natalis Petri, Andreæ & Philippi Apostolorum, ut legimus Iohann. 1. cap. Nunc autem est deserta, ut diximus. Habuit olim aquæductum à fluuio, quem Iosephus paruum Iordanem appellat, cuius vestigia adhuc apparent in descriptione nobilis prouinciæ Galilæe. Nequaquam omittenda est illustris Cana cuius nuptias sacro sanctas legimus Iohann. 2. cap. Hæc distat à Ptolemaide quinque leucis. In hac dum solennes nuptiæ celebrantur, inuatur nobilis illa virgo Maria, vocatur Iesus & discipuli eius ad nuptias, & initio miraculorum Iesu aqua mutatur in vinum, lex hydrijs aqua repletis, secundum purificationem Iudæorum. Vidimus oculis nostris, vel hac parte felicibus, nobile illud triclinium Iohannis (ut creditur) sponsi, in quo matrimonij sacramentum Christi matrisque eius præsentia, & primo miraculo est honoratum. Est nihilo minus honoratus cælibatus, ad quem Christus Iohannem vxorem ducere, volentem, inuitauit. Hic trichinij locus, sicut omnia ferè alia miraculorum Christi loca insignia, est subterraneus. Est & alia Galilæe ciuitas insignis Tiberias nuncupata in Euangelijs. Hæc tribus leucis distat ab vrbe Bethulia, ubi adhuc castrorum Holofernis & facti Iudith apparent vestigia. Porro Tiberias est supra littus maris Galilæe, vnde & mare Tiberiadis nuncupatur, olim dictum Cenereth, vel Ceneroth, vnde Iosue 12. legimus: Seon, rex Amorrhæorum, dominatus est usque ad mare Ceneroth. Hæc vrbs longa est valde ad littus maris extensa, ubi balnea sunt salubria, palmæ multæ, oliueta & vineæ, & restaurata fuit ab Herode Tetrarcha, in honorem Tiberij Cæsaris Tiberias nuncupata.

Cælibatus.

Tiberiadis.

CAPVT DECIMVM.



Um saluator noster ex finibus Tyri & Sidonis iuisse dicatur ad fines Decapoleos, congruum fuerit, post Decapolim loqui de Tyro & Sidone. Ergo à loco, qui in Canticis vocatur puteus aquarum uiuentium, duobus miliaribus est Tyrus incluta, per Thyras, Iaphet filium constructa post generale ditium, & à Phœnice restaurata, vnde Syriæ Phœnices metropolis est habita, Cingitur firmis mœnibus

Tyrus.

moenibus figuræ circularis, & in medio maris super rupem extructa, essetq; peninsula, nisi opera primm Nabuchdonosor, deinde Alexandri Magni ab ortu continenti iuncta fuisset. In hac vrbe preciosæ martyrum seruantur reliquiæ, vt narrat histo-
Monumen- ria Ecclesiastica. Porro in templo sancti sepulchri Origenis
tum Orige- doctoris ossa magno in honore seruantur, quorum titulus est in
nis. columna marmorea magno sumptu gemmarum & auri. Ante portas vrbis ad ortum spatio duorum iactuum arcus inter densissimas arenas ostenditur locus prædicationis Christi, vbi mulier exclamauit, Beatus venter, qui te portauit. Est ibidem lapis magnus, super quem Iesus solitus erat prædicare, nunc stans, nunc sedens. Lapis hic nunquam arena, quantumcunq; vento agitata, occultatur, nec etiam niuib. Est & ibidem columna strata in longum, vbi ferunt peregrinos olim transeuntes à Sarracenis occisos. Sidon vrbs in hac regione quanta fuerit, ipsæ ruinæ docent, & sacri libri Prophetarum ostendunt, Vnde Hieremiæ 48. de his dicitur: Dissipabitur Tyrus & Sidon cum auxilijs suis. Et Ezechelis 28. Ecce ego ad te Sidon dicit Dominus &c. Ex reliquijs Sidonis antiquis parua vrbs reparata & fortis. Terra in circuitu vberima est, abundans Canamelle & vineis deliciosis. Ante portam vrbis antiquæ extructum fuit sacellum, in cuius loco Cananæa pro dæmoniaca filia Iesum orabat, vt dicitur Matthæi 15. cap. Tribus leucis à Sidone est vrbs illa celebris & maritima Tripolis, in qua omnium ferè nationum Christiani morantur. Vrbs per se diues est in opulentissima regione, in qua feruntur esse plus quam quatuor millia textorum, in serico & holoserico operantium. Libanus mons tribus leucis distat à Tripoli, vnde dicitur in Canticis: Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.



Tomus

TOMVS DECIMVS.
**DE VALLE SILOE,
 DE NATATORIA, DE
 AGRO AKELDAMA, DE DOMO SI-**
 meonis senis, de castro mali consilij, de terebintho procera, de monticulo Abacuc, de illustrissima vrbe Bethlehem, de templo magnificentissimo loci natalis Domini, de valle Raphaim, de monte Iudæ & domo Zachariæ, de Regno Gazæ, de oppido Buticele, de antiqua & noua Hebron, de ilice Mambre, de agro Damasceno, & ortu Adam, de vineis Engaddi, & hortis Balsami, de cænobio Iohannis Baptistæ, de miraculo reliquiarum eius, de monte Carmelo, & miraculo fontis, per ordinem differit, continetq; ca: 6.

CAPVT PRIMVM.



Vnc piorum pastorum monito obtemperantes transiuimus vsq; in Bethlehem, visuri hoc verbum, quod fecit Dominus & ostendit nobis. Exeuntes ergo Hierusalem, & descendentes, primum venimus in vallem Siloe, vbi in radice montis Si-
Vallis Si-
loe. on decurrit fonticulus, cuius riuulis Beata virgo in varijs suæ rei domesticæ, & Iesu filij necessitatibus, creditur vsa fuisse. Hic riuulus decurrit in natatoria Siloe, vbi Christus illuminauit cæcum natum. Et Salomon p̄scis temporibus hic in quadam domo, cuius adhuc ruinæ videntur, testantes operis magnitudinem, dicitur cudisse monetam. Porro aqua fontis, ipsis etiam Sarracenis, in precio est, adeo vt cum naturaliter fæteant instar hircorum, huius fontis lotionem factorem mitigant seu depellunt. Aqua etiam natatoriæ Siloe mirandæ vulgatur esse virtutis, quod scilicet lauantes oculos miuimè cæcitatem vel ophthalmiam incurrant. Quare Turcis est in magna reuerentia. Deinde peruenimus ad locum, vbi visitur sepulchrum Esaiæ Prophetæ, qui fugiens iram furentis populi, in arbore Cedro concaua se abscondit, quæ mox virtute diuina consolidata est. Accurrentes autem populi furibundi arborem ipsam terra secuerunt, secto etiam corpore sancti Prophetæ per medium, in cuius rei memoriam alia arbor ibidem plantata est.

Salomonis officina monetaria.

Natatoria miraculosa

Monumentum & suppli- cium Esaiæ

Inistentes itineri venimus ad quandam caueam, excisam in petra in valle Siloë, in qua fama est octo ex discipulis, capto in horto Christo, vsq; ad diem resurrectionis eius fuisse absconditos. Modico intervallo venimus ad agrum Akeldama, emptum triginta Christi denarijs preciosis in sepulturam peregrinorum, vt prophetauit Ieremias, & enarrat Euangelista. Hic ager vndiq; muro cinctus est, & desuper tectus, patentibus nouem foraminibus, per quæ corpora Christianorum defuncta ponuntur. Sunt etiam in hoc agro multa monumenta preciosissime structa. Illud autem est mirabile, & ad totius mundi conuersationem, vt fidem Christi suscipiant, efficax testimonium, quod corpora in hunc agrum proiecta spatio 24. horarum rediguntur in puluerem. Longè hinc ad iactum arcus propè sepulchrum Esaie est lapis Zoëth, & fons Rogel, vbi Adonias, filius regis Dauid, regnum affectans parauit nobile conuiuium, vt scribitur in 3. Regum. Loca hæc sunt hortis & viridarijs deliciofa, in quibus tamen olim multa supersticiosa facta fuisse leguntur, vt scribitur 4. Regum cap: 15.

CAPVT SECVNDVM.

Die Veneris mensis Iulij 27. refectis corporibus, asinantes properauimus ad sanctissimam Bethleem, & primum ad dextram diuerentes, vidimus domum sanctissimi Simeonis, pijsimi senis, qui desiderio plenus & spiritu sancto, paruulum Iesum vlnis suis in templo complexus est, dictans hymnum vespertinum. Nunc dimittis seruum tuum Domine &c. Prope hunc locum castrum est, mali consilij nuncupatum, in quo Pharisej atq; Pontifices inierunt consilium contra Iesum, & Caiphas ipse, habens Prophetiæ donum ex pontificali dignitate, nescius prophetauit, dicens: Expedit, vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat. O verbum ab iniquo quidem corde prolutum, sed verissimum, ac mysterij plenum. Cæterum fefellit inuidos consiliatores iniqua intentio, nam vnde ipsi iram Romanorum, & vrbs euerfionem, euadere satagebant, inde incurrerunt. Nam Titus & Vespasianus missi à Deo ad vltionem inno-

innocentissimæ mortis Christi, verè abstulerunt locum & gentem. Medio milliari à Hierusalem in grandi itinere nobilis arbor Terebinthus visitur, subtus quam virgo Maria Solymam iens, & rediens, quiescere solebat. Mirum dictu est, hanc arborem tantisper virentibus ramis ac frondibus procera statura durare, quæ non solum uiatoribus gratum præstat vmbra refrigerium, sed etiam veniam septennem pijs Christicolis.

In eadem via publica visuntur tres cisternæ profundæ, apud quas Magi, Hierosolymam egressi, perditam stellam multo gaudio reinuenerunt. Extat in hac via monticulus, in quo ostenditur domus Prophetæ Abacuc, quem ferentem prandium messorum Angelus Domini comprehendit in vertice, transtulit in Babylonem, misitq; ad lacum leonum, vt cibaret Danielem Prophetam. Quo facto, ad domum suam, eodem Angelo ferente, est reductus. Ibidem prope viam, quæ ducit in Hebron, ad iactum arcus visitur, illustris domus magni Patriarchæ Iacob, & sepulchrum Rachelis, eius vxoris, quondam insigne, nunc vero diruptum, vbi colliguntur lapilli parui & nigri quos gestantes mulieres facilius pariunt. Videtur ab hoc loco mons Achile, in quo rex Dauid latitans, euasit Saulem, ipsum persequentem, vt legimus primo Regum 26. Ab sacra Bethlehem spacio vnus milliari ad meridiem locus est, in quo Angelus, præcentor chori cælestis, pastoribus vigilantibus super gregem, læta nouæ salutis gaudia nunciauit, dicens: Natus est vobis hodie Saluator &c. moxq; cælestis militia intonuit, Gloria in excelsis Deo &c. In tantæ rei memoriam sacellum hic erectum est medio agro, & pascendo pecori apto. Non longè abhinc sacellum est semiruptum, in quo tempore cædis innocentum Ioseph cum virgine atq; eius infantulo Iesu fertur latuisse vsq; ad admonitionem Angelicam dicentem: Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum: nunc est casa pastorum.

CAPVT TERTIVM.

In peragratissimis locis, alacres properauimus visere sacratissimam Bethlehem, cuius olim laudes nouimus Prophetæ præconio, dicentis: Et tu Bethlehem nequaquam minima

Terebinthus Mariae.

Abacuc vates

Monumentum Rachelis Achile.

Bethlehem.

minima vocaberis in millibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Accurre & tu gloriosa filia Sion, vrbs Hierusalem, & admirans dicito cum rege tuo, atq; Prophe- ta: Nonne homo natus est in Berthelem, & ipse fundauit eam altissimus, sicut lætantium omnium habitatio est in te. Nam cum Regum atq; illustrium heroum ortu Berthelem præcellat multas vrbes maiores, partu tamen veri Melsiæ, & summi Ema- nuelis Iesu omnes mundi vrbes antecellit. Est ergo Berthelem in terra Iuda constructa in monticulo, distans ab Hierosolymia octo milliaribus, iuxta portam vrbs cisterna visitur, cuius aquam Dauid in præsidio manens petijt, sed allatam bibere noluit, vt legimus in 2. Reg: 23. cap: Olim inclyta, & locus natalis regis Dauid, nunc parua, & raro habitatore, vix centum continens

Monasteri- domos humiles. Est ibi Cœnobium Fratrum sancti Francisci, *um Frân-* quod ingressi humaniter fuimus recepti, & cibo potuq; recreati. *ciscanorum* Deinde iunctis Fratribus loca sancta ordine visuri processimus.

Venimus autem primum ad templum magnum, vbi est sedes Archiepiscopalis, cuius descriptio difficilis est: nam (vt mea fert

Opinio) templum, hoc amplitudine, speciositate ac precio tantum superbit, vt omnia Christiani orbis templa excellere videatur. Et hic planè iustissima exigit ratio, vt Dei filius, summo cœlo descendens, & exiens illam regionem, in qua mansiones multæ sunt, hoc templum haberet in terris, suo ortu & gloria dignum. Est autem mirè excelsum, amplum & longum, quatuor ordini- bus, columnarum marmorearum innixum, quarum singulus ordo constat quinquaginta columnis, magno ædificio & sum- ptu erectis. Huius templi naus à capitibus columnarum vsq; ad testudinem opere vermiculato constat, omnes historias ab ex- ordio mundi vsq; ad ortum Christi continens, mirabili artificio & visenda colorum varietate illustris. Pavimentum stratum est marmore varij coloris, parietes tabulis magnis alabastrinis sunt incrustati, quorum precium & artificij æstimari non potest, adeò quod ipse Sultanus quondam harum tabularum precio & pulchritudine captus, admouit sacratissimo templo manus sacrilegas, iubens latomis, vt è parietibus leuiter submouerent, & pro palatio suo in Babyloniam transportarentur. Mirum dictu, & omnibus seculis narrandum miraculū, Mox vt latomi cum in-
stru-

strumentis accessere, tabulas amoturi, ex solido pariete miræ ma- gnitudinis serpens prodijt, & primā tabulam momordit statimq; crepuit. In hunc modum & reliquæ morsæ à serpente crepuerunt, numero quadraginta. Porro Sultanus viso miraculo timens vlticem Dei iram, iussu reuocauit, & de templo exijt plenus timoris, simulq; serpens disparuit. Visuntur his diebus serpentis vestigia, & fixuræ tabularum. Hæc historia missa est in annales * scriptorum, adeò vt & his quoq; diebus Turcas & omnes Sar- racenos huius templi magna reuerentia teneat. In superiori parte huius templi versus Orientem, altare erectum est eo loco, vbi tres Magi, relictis dromedarijs, ad sacram adorationem promptis muneribus se præparauerunt. Ingressi sumus & sacellum, in honorem Catharinæ virginis & martyris erectum. Profectò in summo huius templi, ad dextram descensus pater decem gradibus, locus scilicet ipso cœlo augustior, nunquam satis laudatus & æterna memoria omnibus fidelibus venerandus, in quo inedio noctis silentio virgo sacrosancto partu grauida, castis visceribus, & illibato pudore, huic mundo edidit Salua- torem tenellum infantulum, & beatæ salutis pignus, in com- mune exponens duum animalium medio. Hic locus tegitur mensa marmorea ac candida, in qua sacrum peragitur, quin & oscula imprimuntur.

Cæterum illa lapidis pars, super qua Christus dicitur natus, & præseps pars, in quam fuit reclinatus, non marmore vestiuntur, sed nudæ patent, vt erant tempore natiuitatis. Locus præseps quatuor passibus distat à loco natiuitatis.

Prope est locus, vbi Christus octauo die fuit circumcissus, & sortitus nomen Iesus, cui omne genti flectitur cœlestium, ter- restrium & infernorum, in quo & saluamur omnes.

Hinc non procul cripta adhæret, locus olim studiorum sancti Hieronymi, in quo libros Bibliorum transtulit, & expo- suit. Visuntur & ibidem sepulchra sancti Hieronymi, atq; Eusebij, marmorea, quorū corpora Rōmam sunt translata. Crypta quoq; ibidem visitur ad Austrum, in qua multa innocentium marty- rum ab Herode intersectorum, corpora fuerunt congesta. Pro- gressi de templo ad Aquilonem, intrauimus refectoryum sancti Hieronymi, in quo nunc est viridarium herbis et fructib; copiosū.

Ad

Borchard-
dum dicit,
qui de hac
historia,
plenus.

Locus na-
tiuitatis
Christi.

Hieronymi
muscum.

Monasteria
1478.

Ad iactum lapidis sacellum est sanctarum Dominarum, Paulæ matris & Eustachij filia, nobilium Romanarum, quarum merita & montimenta ibi videntur. Hinc ergo relictis corporibus & animabus, progressi sumus versus montem Iuda, & vidimus locum cœnobij sancti Hieronymi, nunc desertum, in quo claudicanti Leoni spinam ex planta pedis dicitur extraxisse.

CAPVT QVARTVM.

Bezece.



Nsistentes itinerj vno milliari à Bethlehem in cacumine montis vidimus pagum, quem alij Buricellam, alij Bezech vocant, in quo Saul creatus Rex congregauit Israel in bellum contra Naas Ammonitem. Pagus hic octoginta ferè domus habet,

Raphaim.

& optimo vino abundat. Incolæ ferè omnes sunt Christiani, centum soluentes Turcæ. Adest non longè vallis Raphaim vsq; ad torrentem Botri, per quam discretis habitationibus habitant multi Christiani diuersarum nationum. Promouentes asinis insidendo deuenimus ad fontem, dulcissimis aquis fluentem

Gaza

medio itinere, quo itur ab Hierusalem ad ciuitatem Gaza, vnde & Gaza regnum nominatur. Hæc vrbs ad Austrum sita est in littore maris valde populosa, habens figuram semicircularem. In hanc omne ferè robur Sarracenicæ gentis confertur. Porro ad fontem prædictum Eunuchus, Æthiopia oriundus, reginæ Candacis cubicularius, curru vectus, legensq; Esaiam Prophetam, post narrationem Prophetiæ quinquagesimi tertij cap. amore fidei & mysteriorum Christi dulcedine captus, baptizatus

Euangelista

fuit à Beato Philippo * Apostolo, qui mox disparuit, raptus à Spiritu, & translatus in Azotum, vt narratur Actorum 8. capite Paulo post hinc meantes, venimus ad montem Iudææ, visitaturi domum Zachariæ et Elisabeth, illustri ortu Diui Iohannis Baptistæ inclytam, & visitatione virginem, editione cantici Magnificat, consecratam Fateor tibi candide lector, multum trahebatur desiderio huius sacræ domus videndæ, memores mysteriorum in ea factorum, vt narrat Lucas Euangelista primo & secundo capitibus. Domus hæc in pago est adhuc hodie habitata.

At vix dum nobis egressis, Arabes latrunculi aerem incursionem in nos fecerunt, ita vt veloci cursu in cœnobium Græcorum ingressi, euaderemus. Cœnobium hoc in sanctæ crucis honore est dedicatum, in quo pauci Christiani Græci Monachi Deo seruiunt in paupertate, ferturq; crux Christi hic inuentam, in arbore quadam fabrefactam. Sub altari chori huius templi est foramen rotundum, locus (vt dicitur) quondam illius arboris.

Monasteria
un S. Crucis.

Templum hoc pulcherrimum plane est columnis marmoreis & opere vermiculato decoratum, estq; fortissimum contra incursum Arabum. A Bethlehem tribus milliariibus in via Thecua est sepulchrum sancti Cariathoth Abbatis, quo migrante ad Deum, omnes pariter Monachi cum eo ad cœlestia regna feliciter transferunt.

Cariathoth
Abbas.

CAPVT QVINTVM.



N regione Iudææ & confinibus Bethlehem est Hebron illa antiqua olim dicta Cariatharbe, de qua legitur Gen. 23. Saram fuisse ibi sepultam. Quinetiam hic visitur famosus ille locus speluncæ duplicis, in qua quatuor Patriarchæ cum vxoribus sepultri leguntur, Adam & Eua, Abraham & Sara, Isaac & Rebecca, Iacob & Lia. Hebron antiqua olim in monte fuit vrbs inclyta, nunc subrupta, vt probant ruinæ. In hac regnauit Dauid super Iudam septem annis. Habet autem illicem Mambre à latere, vbi Abraham, sedens in ostio tabernaculi, vidit tres viros, & vnum adorauit, manifestè exprimens altum Trinitatis mysterium, scilicet Patrem, Filium, Paracletum, tres esse personas, vnum Deum vna adoratione venerandum. Ilex Mambre adhuc hodie visitur ante ostium tabernaculi Abraham nobilis Patriarchæ. Nam licet antiqua illa illex aruerit, tamen ex eius radice alia pululauit, cuius folia sunt paulo maiora folijs lentisci, fructus vt quercuum. Hic olim fuit Ecclesia cathedralis, nunc in spurcissimos ritus Turcarum redacta. Porro vnus iactus arcus spacio ab Hebron est ager ille Damascenus, creatione protoparentis Adam, celebratissimus, adeo fertilis & speciosus, vt aliqui hic

Ilex Mambre.

Ager Damascus.

M m

Paradi-

Paradisum terrestrem intelligi debere crediderint. Ager hic habet terram rubram, & mire tractabilem, quam sarraceni deferunt in Ægyptum, Æthiopiam & Indiam, care vendentes. Ferunt autem, foueas reuoluto anno adimpleri diuinitus, habeturq; fama constanter, hanc terram esse talis virtutis, vt eam gestantibus nulla incommoda noceant. Hic locus monstratur, vbi Cain occidit fratrem suum Abel. Paulo longius est quædam spelunca sub rupe, in qua Adam & Eua luxerunt Abel centum annis, vbi visuntur eorum saxei lecti, habentes in longitudine triginta pedes. Sed et fons scaturit in spelunca, de quo bibisse creduntur protoparentes nostri. Sub hac spelunca, in ipsa valle, via descendit, qua itur ex Hebron in Gazam. Constat ex his erroneam esse opinionem vulgi credentis Adam in paradiso fuisse formatum, contra historiam libri Geneseos. Sed & magnorum doctorum testimonio probatur, Adam in hoc agro Damasceno, de rubra scilicet terra, à Deo fuisse plasmatum, & inde translatum in Paradisum, vbi soporato Adam, Eua formata fuit ex costa eius. Fertur autem in quibusdam apocryphis, quod Deus formato Adam in hoc agro, Angelum Michaëlem misit ad orientem, qui visa stella Annatole, id est oriens, redijt. Secundò misit Gabrielem ad occidentem, qui visa stella Dysis nuncupata, id est occidens, redijt. Terriò misit Raphaëlem, ad septentrionem, qui videns stellam Arctos, id est septentrio redijt. Quartò misit Vrielem ad meridiem, qui visa stella Mesambri, quod significat meridiem, redijt ad Deum. Ergo quatuor Angeli, iussu Dei ad quatuor angulos mundi emissi, quatuor literas primores, & quatuor mundi partes capitales, scilicet A. D. A. M. componentes, effecerunt nomen Adam, quo facto Deus ipse artificium comprobauit, dicens: huic homini, vos Angeli serui-
 etis & ipse toti mundo, Orienti, Occidenti, Boreæ, & Austro imperabit.

CAPVT. SEXTVM

Monet locus, vt post Damasceni agri mentionem meminisse debeamus vinearum Engaddi, non quod loca sint vicina (nam Engaddi, est prope Hiericho, ager Dama-

Damascenus prope Hebron) sed quod loca hæc vbertate, specie & fructibus sint mirè excellentia. Engaddi verò est, in quo Dauid declinauit furias Saul, in cuius montis circuitu & Cacumine hortus Balsami constitutus erat: quippe tum in nullo alio loco Balsamum nascebatur. Ceterum tempore magni Herodis Cleopatra, regina Ægypti, fauentei Antonio marito, sed inuidente Herode, hortum Balsami transtulit in Babyloniam Ægypti, vbi preciosissimarum arborum hortus deliciosus colitur à Christianis solis rigaturq; aqua fontis, in quo fama est, virginem gloriosam sæpe lauisse infantulum Iesum, cum degeret in terra Ægypti. Sunt tamen adhuc firculi quidam Balsamorum in monte Engaddi, sed nullius cultus, nullius proventus. Sic miro modo se vlcisitur Deus de peccatoribus, vt quemadmodum Herodes, olim horti Balsami possessor, Iesum puerum persequebatur, Iesus fugiens in Ægyptum post se traxit Balsami hortum. Est autem hic hortus in Ægypto inter Helio-
 polin & Babylonem, habens in longitudine duos iactus arcus, in latitudine iactum lapidis, terræ ferè albæ. Nos cum ibidem essemus in mense Septembri, Balsami signum humile erat palmi scilicet & dimidij in altitudine, folia habens paruula vt rutæ, paulo tamen albiora. Melsis autem Balsami talis est. Decerpitur folium ex stipite contra Solem, moxq; gutta lucida et mirè fragrans scaturit ex ruptura, & hic Balsami preciosissimus liquor vitreis vasis colligitur, minimè fluxurus, nisi ad ortum solis fiat ruptura. Fonticulus autem Iesu paruulus est non sufficiens irrigationi totius horti: quare Sarraceni alium foderunt iuxta illum puteum, ex quo 4. boues aquam protrahunt per rotam sperantes ex vicinitate fontis Iesu aquam fore salubrem. At longe aliter res euenit, donec missis canalibus aquam putei ducerent in fontem Iesu, quo facto largiter & salubriter ex aquis mixtis rigatur Balsami hortus. Mirum dictu, verum tamen, à meridie Sabbathi vsq; ad auroram die Lunæ boues nullo verbere impelli possunt, vt in protrahenda aqua laborent, quod est fidei nostræ testimonium celebre. In hoc fonticulo Iesu lauimus indigni corpora nostra: sed & Sarraceni hic se et pueros suos lauant, non vt baptizentur, sed vt corporum suorum foetorem naturalem euadant.

Monasteri-
um ut dei-
phana Bap-
tista.

Iuxta hanc Babyloniam Cœnobium est diui Iohannis Bap-
tistæ, in quo seruantur reliquiæ eius in quadam arcula. Est au-
tem consuetudo, vt in festiuitate sancti Iohannis, Christiani &
Sarraceni ad Cœnobium conuenientes, arculam hanc in naui re-
ceptam uehant per Nilum, spacio quinq; leucarum, ad aliud Cœ-
nobium, Diui Iohanni consecratum. Quo in loco peractis sa-
cris, arculam cum sacris reliquijs mittunt in flumen Ægypti,
visuri an beatus Iohannes velit reliquias suas in locum pristinum
reportari. Pulchrum prodigium. Arcula mox vt in flumen
missa fuerit, contra impetum tanti fluminis tam velociter na-
tat, vt equis cursoribus eam quis non valeat præuenire. Huius
miraculi testes habemus oculos & aures Christianos & Sarrace-
nos. Nam & hi Diuum Iohannem valde venerantur. Sic Deus
optimus pro consolatione peregrinorum, pro confusione infide-
lium & pro terræ sanctæ dignitate, non desinit quotidie in varijs
locis potentia suæ miracula ostendere, quibus fidei Christianæ
veritas commendetur. Nam simile ferè prodigium visitur in
monte Carmelo, qui est in inferiori Galilæa situs ad occidentem.
Montem enim hunc olim Prophetæ sancti, Helias & Heliseus,
incolere soliti erant cum filijs Prophetarum, quorum successores
sunt fratres, qui Carmilitæ vocantur. Horum Cœnobium est
in monte Carmelo, vbi fons scaturit non quidem perpetuis
aquis, sed temporaneis: nulla enim est ibi aquarum copia, nisi
transseuntibus fratribus peregrinis Christianis, ita vt nunquam
infideles bibant ex eo, vt verificetur illud Prophetæ: Deriuentur
foris in plateis aquæ eius, sed non bibat alienus ex eis.

Carmelita.

¶ Exactis per gratiam Iesu Christi peregrinationibus Terræ
sanctæ, cum magnis laboribus atq; expensis, mira tamen alacri-
tate corporum, & iucunditate animorum, regressi in Ierusalem,
tertiò templum sancti sepulchri ingressi sumus, vt, propter quod
primum venimus, etiam nouissimè visitaremus. Commendan-
tes ergò nos Deo, Christo, beatæ virgini, ac sanctis illius terræ
tutelaribus, primum gratias egimus nostro Saluatori de suis im-
mensis in nos beneficijs, deinde refectioni valediximus Fratribus,
moxq; recessimus, allatis nobiscum sanctorum locorum pijs pig-
noribus, de quibus, fauente Deo regressi amicis nostris imper-
titemur

titemur, missis etiam in pateram argenteam certis nummis pro
sustentatione fratrum montis Sion, in recompensatione benefi-
ciorum & ministeriorum. Ergo conscensis asinis, sanctissimam
Hierusalem egressi sumus, & relicto castello Emaus à dextris,
ad fontem viuum peruenimus, inter oliueta & dulcia fontis
murmura pernoctantes. Nulla ibi lectorū ac puluinarium men-
tio, sed somnus dabat herbas salubres, positæ tamen custodijs
propter timores nocturnos. Altera die, quæ erat aurora Do-
minicæ, asinantes viam montosam confecimus, comitati custo-
dia Sarracenorum. Transita autem ciuitate Macchabæorum
Ducum, in qua plures manent latrunculi (vt suprâ narrauimus)
ventum est ad ciuitatem Rama. Hinc die Martis ad ortum
Solis egressi sumus, obtento prius saluo conductu ab vrbs præ-
fecto, attigimusq; portum Ioppen, in quo multas iniurias
perpessi, soluto tributo, naues nostras ingressi sumus, patronos
nostros expectantes. Die autem Dominico sequenti, Sublatis
velis, & flante prospero vento, nauiganres applicuimus Cypro
diè Iouis. Cognitis autem in Cypro insidijs pyratarum, quod
non esset tuta nauigatio, mansimus ibidem tribus hebdomadi-
bus. Inde altum pelagus sulcantes, variam maris fortunam per-
pessi, tandem diu optatam tenuimus Rhodum quam ingressi,
per Principem illustrem Dominum Philippum de Viliers de
Lille Adam, magnum Magistrum, humaniter recepti sumus.
Hic enim paulo ante Rhodum, aduenerat, sui Principatus in-
signibus exornatus. Mansimus autem octo diebus, à Dominis
militibus Rhodiensibus multis beneficijs humanissimè cu-
mulati. In Rhodo soluentes, altum mare ingressi, inuasi fui-
mus à piratis, qui direptis nauibus nonnullis, cæsisq; peregrinis,
omnes nos trucidassent, nisi Rhodiorum militum præsidio mis-
so euasissemus. Audiens enim illustris Princeps, magnus Ma-
gister, sonitum tormentorum, intellexit hostilem incursum,
moxq; dato ad arma signo, instructaq; classe, misit naues sub-
sidiarias, quæ venientes, non solum nos eripuerunt periculo, sed
etiam recuperata præda, quin & hostibus cæsis, & partim in fu-
gam versis, partim captiuis, nos cum insigni victoria Rhodum
reducerunt. Quid plura? generosissimus Dominus, ne vllas
magnificentia partes omitteret, nos cum summo gaudio per

Auctoris
regressus.

Philippus
Viliers,
magister
quit in Rho-
diorum De
hoc Iaco-
bus Fonta-
nus de bel-
lo Rhod.

sua arma à Turcis vindictos lætanter recepit, in pulchro palatio constituit, & per tres hebdomadas, liberaliter suis expensis enutrit, donec profligatis vndiq; hostibus, instructaq; classe maiore, nos per omnia maris pericula conduceret, & in tutis locis collocaret. Heu nostorum temporum infelicitatem, quibus audire compellimur, altam Rhodum, crucis vexillo inclytam Christiani orbis tutissimum propugnaculum, à spurcissimis gentibus, ab ignobili Tyranno occupari, eiectione inde Christi armis, fugata nobili principe, & cælis militibus generosis, qui tanta in fratres Christianos beneficia soliti sint conferre. Exurgite Reges, exurgite Principes, & vel inclytam Rhodum, Turcæ Tyranno ereptam, Christo reddite, vel pudeat vos nominis Christiani. Pudeat vos, mutuis inter vos gladijs dimicasse, quo tempore inclytus heros Philippus Villerius, pro Christi cruce, pro fide, pro Ecclesia, cum perfidis Turcis solus tot diebus, tot mensibus, bella cruenta conseruit. At vos damnata locordia correptos, nequicquam audientes crepitantia tot mensibus ante Rhodum tormenta, stantem in Adriaticum mare sanguinem Christianum nil considerantes, nulla vnquam sacra piabunt, nec ulla venia digni censebimini, donec hanc teterissimam detergat ignauiam, magnum Magistrum & ordinem militarem suis locis suis ordinibus, vestris armis restituatis. Tanto ergo periculo erepti à Rhodo in Candiam, à Candia in Histriam, ab Histria ad Parentiam, à Parentia ad Venerias læti regressi sumus, prospera satis valetudine pronosstrarum complexionum diuersitate, & situ regionum.

PERORATIO.

Peroratio. **H**abetis, lectores candidi, & Christianæ professionis viri illustres, quod promissimus, habetis descriptionem itinerarij Terræ sanctæ, magni quidem laboris & expensarum multarum, verum multò maioris iucunditatis atq; salutis, adeò vt vix credam, quod vlli peregrini probæ naturæ à sancta terra sint vnquam regressi, qui non desiderio æstuent eiusdem terræ reuidendæ si oportunitas daretur. Nam si exteras terras Chalcutam, Siuiliam, Americam, Indiam, Aphricam vidisse iucundum est, in quibus præter horridas frontes, inhu-

manos

manos mores, obscænos ritus, rara monstra, & reculas quasdam auro vel argento emptiles, nulla alia videntur, cur nō longo maiore desiderio inardescamus illam terrā videre, quæ tot signis & miraculis est, inclyta, tot mysterijs consecrata, tot gratijs abundans? Proh pudor, quotusquisq; hæc æstimat hoc nostro æuo, & quot longissima transeunt maria pecuniæ augendæ gratia? cum olim parum illustris inter nobiles haberetur qui Terram sanctam non visidasset. Planè hæc res in causa est, vt terra sancta tanto iam tempore à Turcis habitetur, quod scilicet pauci Christianorum eius videndæ vel possidendæ flagrent amore. Hoc est quod nobilis ille Propheta Elaias & præuidit, & prædixit his verbis: Regionem vestiam coram vobis alienigenæ deuorabunt, & desolabitur sicut in vastitata hostili. Cæterum ò me felicem, ò mihi tam longè maneat spes vltima vitæ vt audiam pro huius terræ recuperatione conscribi militiam, & signa efferri. Inter quæ prima erunt candentia Lilia, quibus iam olim oriens didicit submittere colla, vt fiat quod longè ante prophetatum est: Exultabit desertum, lætabitur solitudo & exultabit lætabunda, & germinans germinabit, sicut Lilium. Huius tantæ rei exauditor esto, Franciscæ Valesi, & quod nomine censeris rex Christianissimus, facinoribus effice præclaris, tantæ gloriæ triumphum alto concipe corde, quo in præstantissimorum Galliarum regum album multo stratagemate referri possis. Rdeat in illustria corda antiquorum Gallorum pugnacitas, & ardor ille in armis, quem olim formidauere Capitolia, & Tarpeiarum arces expauere. Quorum viribus neq; Apollo ipse satis tutè in Delphis possedit tripotem, Si quid male pugnatum est in agris Ticinensibus, his trophæis aboleatur. Siquid dudum de Constantinopolitano imperio regia pectora concepere, nunc nunc mancipetur effectui. Nec enim credere licet, minores fore vel vires vel animos in perfidos Turcas, & pro vindicando Christi sacro sancto imperio, quam olim fuere & vires & animi pro regno tutando, pro debellandis Heluetijs. Sit Constantinopolis loco Mediolani, sit Turca typus Heluetij, quanquam forte nec vrbs vbi, nec gens genti vq; respondeat. An ista omnium regum maxima decora alteri cupia regum Galliarum nascituro te clariori possint contingere? Tuam sanè cum memoria repeto strenuitatē, Christianissime rex Franciscæ, egregiaq; animi tui dotes

Nullis

Apostrophe
ad Franciscum regem
Galliarum.

Nullis principibus, quatumvis ab auctoribus celebratis, mihi cedere videris. Tu enim Britannis, tu Teutonibus, tu deniq; omnibus Europæ principibus multis annis fortiter pugnando restitisti. Exercitui tuo (fateor) Ticinensis clades dedecori non paruo fuit, tibi autem honori summo, vt qui hostem in te mille tela, ac (vt dicunt) glandes iacientem, magno animi robore exceperis, multosq; (tanquam alter Hercules) obruncaueris. An quispiam multis retrò annis nascetur te fortior, aut animosior, aut bellicarum rerum peritior? An cuiuspiam regum priscorum partum est amplius regnum, aut parietur in futurum? An in vllum priscæ ætatis regem Gallorum corda fuerunt propensiora quam in te, qui vt sincerissimum regni tui amorem inclytis factis faceres contestatum tuis regnicolis, nihil dubitasti excedere limites regni, horrendo bello te committere, & strenuissimi Cæsaris imitatus exemplum, regia voce dixisti: Venite imus in hostes. Neq; hoc satis fuit alto pectori, nisi duces omnes ac proceres fortissimè bellando præuenisses. Tibi ergò vt sunt vires & animi præcipui, vt regnum est hac tempestate omnium amplissimum & pacatissimum, ita annitendum est, vt præclara facta ditioni respondeant. Porro ne quid exterreat frontes Christianas Turcarum vis, memineris antiquæ totius Orientis ignauia, adedò vt in prouerbiu abierit, Asiatica mollicies, quæ non solum non gignit militem horrendi Martis alumnum verum & generosum quemq; tyronem effæminat. Id, quod clarissimus imperator Alexander in Babylone & vidit & doluit, quod Cyrus ille tanta disciplina militari corrigere nissus est, quod Scipio Asiaticus mira acrimonia castigauit, quod Iulius Cæsar in bello illo Pharsalico Pompeio obiecit. Memineris variarum nationum, quæ per orientem degunt sub Christianæ legis pietate, varijs ritibus, vna tamen fide Christum colentes, Græci, Armenij, Parthi, Persæ, Mozorabæi, Maronitæ, Nubiani, Georgiani, Iacobitæ, Indi, omnes Christi cultores, quibus resides olim animi ad arma corripienda redibant mox vbi Gallorum regem, & Gallicas regiones, in Asiam transmittere cognoscent. Iam nunc Gallorum metus incubat orienti, quories ad memoriam redijt, quam paruo negotio pauci milites Galli multos Turcas neci dedere. Vnum dicam certè memoria

Asiatica
mollicies,

Orientis
Christianæ
gentes.

ria dignissimum, quod te, Christianissime Rex Franciscæ, atq; adedò Gallia proceres omnes, gaudio & admiratione afficiat. Referunt annales non leuium scriptorum, circa annum Domini, millesimum, ducentesimum profectos Hierosolymam Gallia proceres, sacrorum locorum visitandi gratia. Qui cum soluto voto redirent, medio mari à Turcis prædonibus capti in Tartariam delati sunt. Inter hos cum duo essent spectata virtutis, corporisq; proceri, interrogati, cuius nationis essent, cuiusue terræ? libera voce se Gallos esse professi sunt. Ad quod ductor Turcici agminis: Si Galli estis, inquit, spectanda in armis vestra virtus est roburq; corporis: Obtinet enim apud nos fama, vnum militem Gallum multis præstare Turcis, quæ res vt nobis pateat, magno discrimine & Marte iniquo agendum est: En quadraginta quinq; Turcæ equites armati: cum his vos duo cataphracti manus conserite, & laudatæ rotius virtutis specimen date. Erant hi nobiles Galli, Guillelmus Brundusius, & Raymundus Guinascus, à latronibus delati in Tartariam prope urbem Arfengdam. Qui Christiana pietate ducti, & peregrinorum freti modestia responderunt, Se longè alterius esse mentis, quam vt cruentis gladijs inter peregrinandum dimicarent. At Turcarum Dux ait: Absint verba, ad rem ipsam venite, aut districtis gladijs salutem vestram vindicate, aut mille pœnis vos parate. Ad hanc vocem hi duo generosi milites habito paulisper colloquio, & alterutrum confessi, sese animant, moxq; armis induti, equos conscendunt, gladijs se accingunt, lanceas corripuiunt. Quando, aiunt, dura hæc vrget necessitas, non deerunt nobis animi neq; vires, quibus laudatam hætenus probitatem Gallorum posteris inuiolatam seruemus. Tu Christe adesto tuis tyronibus, & Christianæ frontis pium decus inter hæc mala conserua, tuq; Diue Georgi sustenta lanceam, dirige gladium, robur largire, inde animos sonipedi, & vires, quibus hanc trucem, cohortem pro Christi honore mactemus, suppedita. His dictis, hi duo cataphracti animis ac viribus leoninis equosurgent calcari- bus, & infestis hastis feruntur in Turcas. Mirum dictu, primis congressibus duo quindecim Turcas conficiunt, ruptisq; hastilibus micantes gladios arripiunt, & reliquos triginta

Vide Fraga-
ment. Vini
centij Bel-
uac. libræ
31 ca: 146.

N n

semi-

femineces in campo prostratos relinquunt, magna planè Christiani nominis & Gallicæ nationis gloria, maiore Turcicæ gentis dedecore, aded vt huius rei fama timore vniuersam penè Tartariam percelleret. Patuit hoc paucis post diebus. Nam cum hi duo equites, Guillelmus & Raymundus, Turcarum spolijs ornati, ad fratres suos peregrinos, qui erant numero trecenti, rediissent, Christicola quidam, natione Florentinus, incidit in manus Turcarum, qui ob cæsum quempiam ex suis ambiebant Christicolam, maximo numero minantes ei cruce atq; patibula: quæ res vbi innotuit peregrinis, visum est communibus votis redire ad Turcas, & fratrem Christianum vendicare è manibus Turcarum prece vel prælio. Nec mora, vt rem sciuerent Turcæ, memores virtutis Gallicæ, Christicolam mox dimiserunt. Age ergo Rex Franciscæ, agere Principes Christiani, animos tandem resumite, vires vestras ipsi cognoscite, & militum vestrorum robur torpescere ne patiamini. Scatent similibus exemplis omnes historiæ, aded, vt si seposito numine & nutu diuino (quanquam id impiissimum fuerit) vires viribus comparantur, haud sustinere poterit tota Asia vires Europæ. Probauere hoc multi principes, maxime Imperator Conradus. Nam cum ipse & Gallorum rex Ludouicus, iunctis copijs in Asia armis detonarent, & in obsidione Damasci crebris dimicationibus vterentur, Imperator ipse medijs peditum legionibus se miscuit, voce & viribus dans miræ probitatis exempla, aded, vt Turca quidam validus viribus Imperatorem apprehensum collo perstringeret, qui mox Turcam excutens vibrato ense hostem ab læuo armo per pectus transversum vno dissecuit ictu, mirantibus Turcis apud Damascum & ad dedicationem conuersis. Ludouicus Diuus quàm prosperè in oriente bellauit impar numero, sed superior? virtute Godefridus, Balduinus, ac reliqui, Lotharingorum principes, parua manu ingentes sæpè copias pessundederunt. Hi omnes, tametsi diuinis fuerint vsi præsidijs, bella tamen humanis viribus & militum robore exantlarunt. Quid futurum speramus, si Deus opt: maximus, si salutifer Christus, omnesq; sancti tutelares, cum legionibus Angelorum in Christianorum castra descendant, & pijs precibus inuocati præcedant agmina, ferant signa,

Auctor
Guilielmus
Tyrinus lib.
6. cap. 4.

Cosulens
dum iterum
Fragment,
Vincetij ut
Chronicon
Hierosol.

fument

firment virtutes? Fiet dubio protul, quod olim concessum est populo Hierosolymitano, veri ac summi Dei cultori, vt vnus ex nostris percutiat decem, decem centum, centum mille, mille decem millia, & totus oriens. Vnde venit Titan & nox vbi sidera condit, quaq; dies medius flagrantibus æstuat oris, Et qua bruma rigens ac nescia vere remitti, Astringit Scythicum glaciali frigore pontum, Et gens si qua iacet nascenati conscia Nilo, summi Dei ac Christi nomen inuocet, vna toto terrarum orbe sic diffusa Ecclesia, id quod olim multi Prophetæ cecinerunt, & his temporibus futurum speramus, si viribus animi accedant, & voluntati facultas respondeat. Tunc tunc satis longè mihi fuerit visitatum, clausurq; vitæ meæ diem felici periodo, dicam cum sancto Simeone. Nunc dimittis seruum tuum

Lucanus
lib. 1.

Domine secundum verbum
tuum in paco.

D I X I



N n s

AD

AD PERILLVSTREM

AC GENEROSVM, VTRIVSQVE ARMATÆ
& togatæ militiæ auratum Equitem sanctæq; sedis Apostolicæ
protonotarium, simul geminæ centuræ Licentiatum
dignissimum, Dominum Bartholomæum à
Saligniaco, Gabrielis Dele z.
carmen elegum.

Biturigum sublime decus, clarissima gentis,
Gemma Saligniacæ, & tempus in omne iubar.
Bartholomæ sagax, gemino splendescis honore,
Armorum atq; togæ miles, vtrunq; tenens.
Dum ferus hostiles Mauors ad bella phalanges,
Excitat, occurrens strenuus arma capis.
Dum Bellonæ furens clypeum protendit, & ensen,
In medias acies irruis impavidus.
Ast dum Palladias delectant ocia mentes,
Mnemofyne cerebrum vellicat ipsa tuum.
Impiger Hesperidum placido spaciaris in horto,
Atq; decem tomis psallit amæna chelys.
Quæ latuere prius tua commentaria pandunt,
Pandunt res miras, quæ latuere prius,
Quæq; peregrinus Iudæo noueris orbe,
Rhetoricis ornans floribus ipse notas.
Multa tibi totus debere fatebitur orbis,
Si tua perlegerit lumine scripta pio.
Nescio quæ meritis præconia digna rependam,
Munere pro tanto sit tibi laus & honor.

V A L E.



PIA ET SVCCIN- CTA RESPONSIO, AD PRÆ-

CIPVÆ ARGVMENTA M. CYRIACI
Spangenbergij,

De peccato originali.

A M. IOAN. MOSELLANO, E C-
CLESIAE, QVÆ EST IN GAYLNDORFF,
Ministro, conscripta Anno 81. Mense Au-
gusto.

Frustrà sacrilegi morsu petulante Sophistæ
Dilaniant, veri coelica verba Dei.
Nam qui de summo prospectat cardine coeli,
Consilia effectus non dat habere suos.
Sed quando scelerum vindex ardescet in iram,
Hæretici, tanquam fictilis olla, cadent.

M. I. M. F.



T V B I N G A E,
Apud Georgium Gruppenbachium.
M. D. LXXXII.